JOHANNIS ANTONIDÆ
VANDER LINDEN

DE

HEMICRANIA MENSTRUA,

HISTORIA ET CONSILIUM:


AD
Serenißimam Principem,
LOWISAM AVRIACAM,
Marchionissam Brandenburgicam, &c.





Camill. Falconer aggreg.
Lugd natal: fil.
Andr. nepos 1693.

LVGDVNI BATAVORVM,
Apud JOHAN. ELSEVIRIUM, Acad. Typographum.
CIƆ IƆC LX.



SERENISSIMÆ
PRINCIPI AC DOMINÆ,
DOMINÆ

LOWISÆ
AURIACÆ,

SERENISSIMI ATQUE POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI

FRIDERICI
GULIELMI,

DEI GRATIA MARCHIONIS
BRANDENBURGICI: S. ROM.
IMP. ARCHICAMERARII ET

ELECTORIS: MAGDENBURGENSIUM, BORUSSORUM, CLIVIORUM, JULIORUM, MONTENSIUM, STETINORUM, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM, ET IN SILESIA CROSNENSIUM AC JAGERSDORFFENSIUM DUCI: BURGGRAVIO NORIBERGENSI: PRINCIPI HALBERSTADIENSI ATQUE MINDENSI: COMITI MARCÆ AC RAVENSPERGI: DYNASTÆ RAVENSSTEINI, UT ET CETERORUM

PRINCIPIS AVGVSTI,

AVGVSTÆ,

BENE,
CORPORE ET MENTE,
HABENDI PERPETUITATEM,
VALENDI PROSPERITATEM,
AGENDI FELICITATEM,
AB OMNIUM AUTORE
DEO OPT. MAX.
O. O.
O.

ERENISSIMA
PRINCEPS:

SANITATEM humanarum rerum optimam & optatiſſimam eſſe, majore nemo opus amiſſæ teſtimonio habet. Quemadmodum autem, quæ inæſtimabilis pretii unionem in domo perdidit, accendere lucernam, verrere pavimentum, excutere ſcrinia, luſtrare omnia, donec eum repererit, quantacumque etiam vel corporis fatigatio vel animi deſperatio obrepat, haut umquam tamen ceſſat: ita omnis homo oppreſſam morbo

bo ſanitatem, tamquam occultum agro theſaurum, non deſiderare flagrantiſſimo pectoris deſiderio non eſt potis. Qua face ſemel in corde, foco affectuum, accenſa, ecquid abſtinere valetudinarium, nedum ægrotantem poteſt, quo minus, præmiſſis ad cœlum ardentiſſimis precum, etiam Altiſſimi donum Medicinam conſulat, humanæ tum ſaluti in præſidium, tum valetudini in auxilium, tum miſeriæ in ſolatium largitam artem? Quo ipſo mirari præpropera, imo præpoſtera curioſitas deſinet, quid SERENISSIMAM CELSI-

TUDINEM tuam moverit, ut, Sanitate cum menſtrua nuper moleſtia, & ipſam Majeſtatis arcem, Sapientiæ templum, Juſtitiæ tribunal, Clementiæ aſylum, Vigilantiæ ſpeculam, Sublimitatis domicilium, Humanitatis caſtrum, Benevolentiæ miraculum, Beneficentiæ promptuarium, tot Virtutum, & omnium in SERENISSIMÆ CELSITUDINIS tuæ perſona ſummo gradu præcellentium, ſedem invadere auſa, luctante, juſſeris fama & opere præclaros tuos Archiatros hiſtoriam Affectus, totiens SERENISSIMÆ CELSITUDINIS tuæ

pro populo curarum, occupato in externo & justo bello DOMINO, vices interpellantis, & una ingentem Populi mœrorem atque sollicitudinem immane renovantis, scripto consignare, conscriptamque Medicis alibi gentium celebrioribus communicare, omniumque de natura ejus & remediis sententiam postulare. Pietas enim, qua subditis in exemplar incomparabile præluces, non fateri cum humanæ infirmitatis tum divinæ paternitatis exemplum vetabat. Charitas autem, qua regere cives & dulce in obsequium

etiam rapere cunctos tamquam divino fascino soles, non patiebatur SERENISSIMÆ CELSITUDINIS tuæ lucem, velut omni nova luna obscuratam, tot terrarum, tot civium, tot amicorum, tot supplicantium pro salute clientum conspectui cum tremore omnium subduci: quin aliquando eam, discussis mortalitatis nebulis, reddere in solidum cunctis gestiebat. Fortitudo denique, qua stupendo animi & invidendo viris vigore sævissimum dolorem sustinuisti &, quod gratulor, superasti, medicinam non solum foris

etiam quærere prudentiæ imperabat, ſed &, uti in propria SERENISSIMÆ CELSITUDINIS tuæ perſona Aulæ ſqualenti, Populo dolenti, Eccleſiæ lugenti faceres, de facili ab amoris erga omnes teneritudine impetrabat. Me vero etiam quod, SERENISSIMA PRINCEPS, vocare ad partes, & honore conſulendi, ac ſplendore reſpondendi, atque favore admittendi, tot gratiis gratioſe exornare dignata es, id vero eſt, quod cum ea, quam SERENISSIMÆ CELSITUDINI tuæ debeo, veneratione & antehac agnovi,

& in præſentia rurſum agnoſco. Nam amicis, intereſſe Artis putantibus, ut in publico & ſingulares caſus & elucubrati labores extent, atque ea propter Conſilii, à me ſuper SERENISSIMÆ CELSITUDINIS tuæ affectu, non quidem pro tam illuſtris perſonæ dignitate, verum pro meæ ſupellectilis tenuitate, ſumma tamen attentione atque cura accurati, editionem flagitantibus, ut nihil negare honeſti umquam potui, ita hoc non debui. Quandoquidem vero, huic partui quærendus, more ſeculi, eſſet aliquis initiationis


arbiter, ad cujus me, ſi non ad SERENISSIMÆ CELSITUDINIS tuæ manus, verterem? neque enim alienare licebat, quod tuæ valetudinis cauſſa conceptum natumque fuit. Suſcipere ergo etiam dignare, SERENISSIMA PRINCEPS, quod naſci voluiſti, quodque ſemel natum, quamdiu vivet, pro vita tua, pro incolumitate, pro domo, pro imperio facere ad Deum, omnis boni largitorem, pia vota preceſque numquam ceſſabit. Hoc ſpondeo,

SERENISSIMÆ

CELSITUDINIS TUÆ

cultorum & clientium humillimus,

VANDER LINDEN.



EXCELLENTISSIMO

DOMINO,

D. GULIELMO STRATENO,

CELSISSIMÆ ET ILLUSTRISSIMÆ DOMUS AURIACÆ ARCHIATRO,

JOH. ANTONIDES VANDER LINDEN SALUTEM.



EXCELLENTISSIME DOMINE:

ANNUS *est, quod domi fratris Hermanni Vander Linden,*

 Ver-

Verbi divini in Hagiensi ecclesia præconis, exhiberes mihi Historiam sive, ut mos est appellare, casum affectus ad consulendum propositi; simul & rogares diligenter eum expendere, & quam maturrime responsum, utriusque nostrum & manu subscribendum, & nomine remittendum, concipere. Promisi facturum, quantum equidem per occupationes liceret. Domum reversus primo quoque die me accinxi ad opus, &, quod exhibitum esset, legi, relegi, iterum, tertium. Nempe accidebat, ut, quod me primum intelligere putarem, non intellexisse postea comperirem. Re perspecta, primo impetu analysin concepi in brevi tabella, & pro cynosu-

ra meditationum. Post quem evenit, ut meum quidem fervorem, quem animo jam egregii quid pro salute tam Illustris personæ & in artis decus præstandi conceperam, avocationes non unæ sufflaminarent. Successit altera hebdomada, quæ, quod esset Academiæ Rectoris *nominationi & inaugurationi solemnis, in solidum quoque à suscepta cura, quantumvis invitissimum abstinuit. Tertia, jam ferias & otium nactus, totum me huic uni rei applicui. Ad cujus accuratissimam expositionem quando vocari nos viderem, religio fuit, non satisfacere Nobilissimorum* SERENISSIMÆ PRINCIPIS *Archiatrorum expectationi. Et, volo*

enim verum tibi fateri, subveniebat animo, hoc esse tempus ostendendi, quid Medicina medicinæ, Rationalis empiricæ differat: imo ostentandi (absit invidia verbo!) nobile illud σχῆμα, *quo Hippocrates suos filios, hoc est, veros medicos sese induere hortatur in l. de Eleg.* II. 41. *Scio te novisse, quem professoriam dignitatem in Ultrajectinensium Academia primum & primo loco & summa cum laude & ingentibus meritis sustinuisse tot annos scio. Non mihi impero tamen, ut ne, vel in eorum gratiam, qui hæc lecturi sunt, ipsa, & cedro digna, verba apponam. Veri, inquit, medici sunt* πρὸς λόγους ἀνυστοὶ, πᾶν τὸ ὑποδειχθὲν ἐκφέροντες, εὐεπίῃ χρώμενοι, χά-

ειν

εἰσὶ διατιθέμενοι, δόξῃ τῇ ἐκ τουτέων διϊσχυριζόμενοι, ἐς ἀλήθειαν πρὸς τὸ ὑποδειχθὲν ἀποτελματιζόμενοι. *Quin veniam rogo repetendi, propter eos, qui, quæ seculi ad barbariem gradus grandientis infelicitas est, græce ignorant. Sunt in sermonibus promti & potentes: quidquid proferunt, demonstrant: eloquio utuntur puro & perspicuo: quod agunt, cum gratia factitant: pro gloria, quam dictis factis merentur, etiam, si opus, ut modeste, ita magnanimiter contendunt: veritatem vero numquam non, si demonstretur, animo ab omni opinionum uligine defecato lubenter admittunt. Hoc itaque exemplar præ oculis habens, lubido me, sed, nisi in re propria cæcu-*

tio, honesta atque tempestiva incessit illud exprimendi. Magnum vidi, & volui; quod etiam, voluisse, magnum. nam, In Arduis Virtus Liquet. Ast meæ voluntati accidisse nullus dubito, quod puerorum cupiditati solet. Plerumque enim fit, ut plura oculus, quam venter capiat. Interea illuc dum omnibus ingenii nervis contendo, dum nihil inconsideratum, nihil intentatum, nihil indemonstratum relinquere satago, crescit opus, tempus abit. Itaque jam quarta septimana, sive ab opere revera incœpto altera, quo ne tuam aut fallere spem aut trahere expectationem viderer, fratrem tibi renunciare rogo, esse sub manu opus, & me in

eo, ut accurem. Exhinc evênit, nescio post quam paucos dies, certe intra eamdem hebdomadam, ut tu corpori, ille animæ medicinam præstituri conveneritis in eisdem ædibus. Ibi tu, nondumne absolverim, quærere: &, neganti se scire, diem dicere, quo abeundum tabellario, & mittendum cum eo responsum esset. Is, quia moram non patiebatur, nuncio confestim significatus. Quod mihi jam currenti calcar admotum ita incitavit, ut noctes reliquas diebus junxerim, atque ita confecerim septimanæ novissima. Qui me plus diem non debuisse impendere, certe alterum, existimabit; ei ego fatebor sufficere scribendis id genus consiliis, quod na-

ſci ſub calamo, & ſcribi etiam occupatiſſimis ſolet. Qui tamen, nimium me tam paucis philyris dediſſe; ei ego jam hoc fatebor, non eſſe me ex promtulis iſtis, qui omnia citius, quam aſparagi. Mihi datum non eſt, diligentiæ ſimul & induſtriæ laudem mereri. Hærere rei poſſum: ſæpe abire non poſſum. Hoc *mihi præjudicium animo ſedet; niſi mihimet ſatisfecerim, nulli ſatisfeciſſe credo: quamquam cum mihi ſatisfacio, non idcirco tamen aliis ſatisfactum puto.* Hoc *quare interſeram, ſcire te cauſſam credo. Ultimum moræ fuit ab eo, cui deſcribendum dederam. Tum quoque cum exemplari ſuo conferendum apographum fuit.* Huic *rei ſoli-*

dam

dam rursum noctem impendimus ego & Zacharias Ennichmannus, eruditus juvenis, & apud Tremonios suos medicinam nunc cum laude faciens. Sic ultima manu imposita, ante lucem ad te proficiscor. In via ad fratrem diverto, & adesse me cum partu meo significo. At ille: sero. Nam D. Vander Straten illo die obviam mihi factus dixit, se tua mora compulsum, cum ultra procrastinare non liceret, aliquid seorsim concepisse & amisisse. Ego nihilominus ad te. Qui aperuit, Delphos te ivisse; & incertum, an rediturus ante vesperam. Nobilem ergo & amicum mihi virum adeo: meam rem & sollicitudinem expono. Ipso denique


autore & conciliatore apud Illustrissimum Dominum, D. FABIANUM, *Comitem de Dhona,&c. obsignatum, ut eram jussus, consilium hoc depono, ejus gratiosa cura ad* SERENISSIMAM PRINCIPEM, *ablegandum. Quotiens illum mihi diem & colloquium repono, quo me Illustrissimus* D. COMES *dignatus fuit; fateor, honoratiorem alium & jucundiorem in vita non habuisse. Quotiens ego mihi, tantam affabilitatem in tam nobili, tantam humanitatem in tam illustri, tantam comitatem in tam sublimi, imo tot virtutes &, quod mirari satis, quod æstimare, quod prædicare nequeo, tam diffusam eruditionem in viro principe, quis credidisset, exspectasset, sperasset?*

set?

ſet? Me vero etiam, quod accepi, ſingulare beneficium obſtrinxit ad omnem gratitudinem atque venerationem. Quæ utinam præſtare ex merito poſſim! Ceterum, quia ad exempli nitidi deſcriptionem aliena utendum manu fuit; evênit, ut & plura fuerint exſcripta & pluribus viſa. Itaque jam non erat in mea poteſtate, apud me premere. Extitere deinde, qui edi in publicum debere autumabant, &, ut ederem, ſerio inſtabant; quia poſſe in exemplar eſſe Conſultationibus juxta rationalem methodum conſcribendis, judicabant. Non poſſum diffiteri, hoc quoque propoſitum habuiſſe. Si quid operæ pretium præſtiti, non debeo etiam hunc laborem invidere, quibus

omnem

omnem meum consecravi. Hoc tempus non patitur, ut de Methodo consultationum ex merito disseram. Quin jam vereor, ne quis illud mihi, τοῦ θυλακίου μεῖζον τοὐπίγραφον. Vale igitur, Vir excellentissime, & hoc ad te alloquium animo favente excipe, quin ab animo te colente accipe, & in vitæ quod superest, habe mei tum candoris testimonium, tum obsequii vadimonium. Deus autem & Dominus noster senectam tibi viridem nestoreos annos conservet. Lugduni Batavorum, XXII. *Martii* CIƆ IƆCLX.



DE

HEMICRANIA MENSTRUA, HISTORIA.

SERENISSIMA PRINCEPS, [2] annum primum ſupra trigeſimum agens, [3] tenero corporis habitu, [4] veniſque anguſtis prædita, [5] ſtaturæ mediocris, [6] temperamenti fere frigidi & ſicci, [7] melancholi-

cis &[8] ſpleneticis paſſionibus valde obnoxia, [9] mater duorum maſculorum viventium, [10] quorum primum altero conjugii ([11] in quo duodecim vixit annos) anno, [12] reliquos duos octavo & undecimo, [13] ſanos & incolumes & adhuc viventes peperit, [14] intermedio autem tempore ſex abortibus afflicta.

[15] Hæc ſingulis menſibus, [16] ſæpius inſtante menſium fluxu, [17] interdum ceſſante, [18] corripitur ſingulari capitis dolore, [19] hemicrania, [20] circa tempora, [21] nunc in dextra [22] nunc in ſiniſtra capitis parte,

te, [23] hærente & [24] lancinante.

[25] Invadit hic dolor cum frigore aliquo & horrore, [26] nauſeaque & ventriculi dolore. [27] Quæ ſymptomata quando ambulando vincere conatur, augentur, [28] ſi lecto ſe committit, nonnihil minuuntur, [29] excepta nauſea, [30] cum fluore copioſi ſeroſi humoris ex ore, [31] qui non prius ceſſat, [32] quam dolores remittunt, [33] quod plerumque elapſo ſpatio viginti & quatuor horarum accidit, [34] poſthac inſtar ſanæ ſurgit [35] & comedit more ſolito.

[36] In ipſo autem paroxyſmo dolores adeo ſunt intenſi, [37] ut nec loqui, [38] nec quicquam cibi aut potus aſſumere, [39] nec corpus ullatenus movere poſſit.

[40] Affligitur etiam aliis ſubinde doloribus circa caput, [41] præſertim ex aëris inclementia: [42] deinde obtuſum quendam & refrigerantem in vertice quandoque ſentit dolorem; [43] præterea aurium [44] & dentium doloribus ſæpe quoque laboravit: [45] ſed hos, quia [46] aut rariores ſunt, aut [47] non adeo affligunt, aut [48] remediis facilius cedunt, jam non

vult

vult intellectos aut conſideratos.

[49] Res non naturales quod attinet, aëre fruitur, quantum fieri poteſt, temperato. [50] Nullas enim ejus injurias perfert; [51] exceſſus ejus in calore aut frigore, [52] inprimis ventorum inclementiam raro impune ſuſtinens.

[53] Cibos fere ſemper parce jam aſſumit & [54] cum delectu. [55] In annis tamen adoleſcentiæ fructuum nimio eſu ſæpius ventriculum offendit. [56] Parciſſime bibit cereviſiam [57] claram [58] hordeaceam [59] modice lupulatam. [60] A vino ſtatim caput

dolere ſentit, [61] ideoque raro hoc bibit.

[62] Somno indulget more ſolito ab undecima veſpertina ad ſeptimam vel ſextam matutinam, [63] dormitque ſic ſatis bene. [64] Meridiano autem ſomno numquam delectatur.

[65] Motus & exercitia amat quidem, [66] accidit tamen, ut vita fere ſit ſedentaria; [67] præſertim hyeme.

[68] Menſes juſto tempore fluunt, [69] ſed parcius, [70] nec tamen decolores.

[71] Alvus quotidie facit officium.

[72] Uri-

[72] Urina libere fluit,[73] quibuſdam tamen, [74] ſed incertis intervallis, [75] ſecundo vel tertio quandoque menſe adeo [76] copioſam reddit urinam uno die, ut decuplo potum aſſumtum excedat.

[77] Sudat rariſſime, [78] etiam poſt medicamenta ad hoc aſſumpta.

[79] Nares parciſſimo ſtillant muco, [80] ſanguine autem numquam.


[81] Atque hæc rerum naturalium, pariter præter & non naturalium enumeratio, pro informatione, ut arbitramur, ſufficit.

[82] Maxi-

82 Maximopere igitur rogantur Illuſtres Medici, ut de Doloris hujus natura, cauſis &
83 remediis ſententiam ſuam, quam fieri poteſt 84 accuratiſſime, ſcriptis exponant.




JOHAN-



JOHANNIS ANTONIDÆ
VANDER LINDEN

DE

HEMICRANIA MENSTRUA CONSILIUM.



§ I.



AXIMI Medicorum nobilis est sive præceptio sive adhortatio, quam & maximi, & merito, οἱ τῶν ἰητρῶν χαριέστεροι καὶ ἐνδοξότεροι fecere semper: οὐκ ἀσχήμων δὴ, οὐδ᾽ ἢν τις ἰητρὸς στενοχωρέων τῷ παρεόντι ἐπί τινι νοσέοντι, κελεύῃ καὶ ἑτέρους εἰσάγειν, εἵνεκα τοῦ ἐκ κοινολογίης ἱστορῆσαι τὰ περὶ τὸν νοσέοντα, καὶ συνεργοὺς γενέσθαι ἐς εὐπορίην βοηθήσιος· Præc.VII.81. *Non est præter decorum, ut Medicus, qui se aliquo in ægro præsentis rei difficultate sentit redactum ad angustias* & inopiam consilii (πάσῃ γὰρ εὐπορίῃ ἀπορίη ἔνεστιν· *omni quippe*

copiæ inopia inest: Præc. VII. 91.) *jubeat etiam arcessi alios, quo ex communi consilio* communique consensu *decernant, quæ sint ex re laborantis, simulque fiant adjutores ad promtum auxilium.*

§ 2. Certum quippe, collata bonorum & in artis operibus egregie per continuam operam, per assiduam diligentiam, per attentam industriam, per multam denique experientiam exercitatorum consilia sæpe & prioribus Medicis ad superandam, quæ premebat, difficultatem aperuisse viam, & Ægris profuisse ad sanitatis faciliorem reciperationem.

§ 3. Non ii vero sumus, qui vel prius præsumere de nobis volumus, vel posterius promittere possumus. Neque enim ignoramus, omnem artis ἐπιτυχίαν esse in manu dumtaxat ILLIUS, qui solus opem, qui summa medendi Jura tenet. Sed neque dubitamus, quin hactenus ab Excellentiss[is] DD[is] Medicis, quibus omnis SERENISSIMÆ PRINCIPIS naturæ atque valetudinis ἰδιοσυγκρασία à tot retro annis est perspectissima, nihil non tentatum sit, quod dictare artis ratio potest.

§ 4. Sed neque est, qui non experimentis discat, quam sit sæpe difficile morbum, cum altius insedit, ex toto, nedum cito, tollere. Videmur autem simile quid in eo, qui SERENISSIMAM PRINCIPEM habet, animadvertere.

§ 5. Quare, uti non miramur, etiam aliorum judicia auditum iri: ita, quod jubemur exponere, neque detrectamus submittere eorum DD[rum] deliberationi atque ἐπικρίσει, qui & præsunt SERENISSIMÆ

PRIN-

PRINCIPIS valetudini, & intersunt omnibus ejus mutationibus. quarum vel minima interdum apta nata est negare consilio locum: saltem differre rem rite gerendi occasiones.

§ 6. Sedulo itaque serioque lectis atque omnibus, quanta potuimus diligentia, expensis, quæ de SERENISSIMÆ PRINCIPIS cùm Corporis constitutione atque afflictione, tum & vitæ ratione satis sunt accurate ad nos perscripta; videmur & geminum malum & connexum ex illis perspicere: Ventriculi scilicet unum, atque alterum Sanguinis: & his duobus optima ratione acceptum referre omnem illam symptomatum συνδρομὴν, quæ tam moleste SERENISSIMAM PRINCIPEM afficiunt.

§ 7. Cujus sententiæ cum efficaciora aliunde, quàm ex ipsis illis, promere argumenta non detur, omnem navandam nobis operam putamus, ut idem quoque Illustribus DD^nis Medicis liqueat, qui id nos [82] *maximopere rogant, ut de Doloris hujus natura, caussis & remediis sententiam nostram, quam fieri potest, accuratissime exponamus.*

§ 8. Quorum desideriis votisque, ut satisfacere cupimus, ita utinam satisfaciamus! Voluntatem vires & studium si destituunt hac vice, equidem lubentes repetemus argumentum: præsertim, si quæ novis consiliis novæ rationes subministrabuntur. Semper enim hominibus ἁμέραι δ' ἐπίλοιποι, σοφώτεραι, *dies posteriores, sapientiores.*

§ 9. VENTRICULUM igitur, & affectum esse, & præ imbecillitate officium in coquendo non satis bene

 facere,

facere, ſaltem probabile facit, quod Sereniſſima Princeps [55] *in annis adoleſcentiæ fructuum nimio eſu ſæpius ipſum offenderit*: & hinc docta ſit, [53] *Cibos fere ſemper parce jam aſſumere & cum delectu.* Neque enim in hominibus plerumque efficaciora eſſe μαθήματα ſolent, quam παθήματα, quæ quis indulgendo ſibi contraxit. Etenim hæc, ſi quibuſdam velut veſtigiis inhærent, peccare ſiquidem impune ſinunt, certe non ſine ſenſu ſui. Quo ſi etiam propoſita nobis hiſtoria reſpicit, ut non ſine ratione ſuſpicamur, jam eſt extra dubium, ex iſto juventutis errore aliquam Ventriculo ἀτονίαν ſupereſſe.

§ 10. De qua etiam plenius teſtantur [26] *nauſea & ventriculi dolor inſtante menſium fluxu.* Quorum ſymptomatum communis cauſſa eſt Cruditas pituitoſa: eaque vel paulatim coacervata ex inſufficienti alimentorum coctione, vel eo ipſo tempore nata, quo ſeſe Spiritus occupare cogitur in ſolvendo menſtruum. Plurimis quippe intentus, & intentione diſtractus, minor eſt ad ſingula. Minor autem debito calor, & plus pituitæ ex cibis facit, & flatus copioſiores. His vero Ventriculum inflantibus, dolorem fieri: ſicut illa gravante, nauſeam, notum eſt.

§ 11. In quos affectus Sereniſſima Princeps ea propter eſt proclivior, quod ſit [6] *temperamenti frigidioris*, Calidique minus, quam pro ratione etiam ſexus, habeat. Talem vero eſſe paret ex eo, quod ſit [3] *tenero corporis habitu, veniſque anguſtis prædita.* Sane quibus paucus ſanguis eſt, multus eſſe calor non poteſt. Caloris enim & focus & fomes eſt ſanguis.

§ 12. Tum

§ 12. Tum quod ſit [7] *melancholicis affectionibus valde obnoxia.* Meticuloſus enim per ſe Spiritus eſt ſuæ ſibi tenuitatis & imbecillitatis conſcius. Meticuloſior etiam, quando animum ratio non ſuſtinet. Metus autem mœſtitiæ, ſi non genitrix, certe nutrix. Nam propterea metus mœſtitiæ anteponitur Aph. v. 23. Ubi utrumlibet Præceptor, ſi longo tempore perſeverent, melancholicum dicit.

§ 13. Cui affine eſt, quod cum [65] *motus & exercitia amet quidem, accidat tamen, ut vita fere ſit ſedentaria, præſertim hyeme.* Quid enim abſtinet SERENISSIMAM PRINCIPEM ab eo, quod tantum poteſt Calori vegetando, appetitui excitando, corporique deonerando & firmando, quantum ſolvendo animum curis & reficiendo rerum, quæ inter ambulandum ſimul & confabulandum, præſertim cum jucundo comite, ſe offerunt, oblectamentis tot & tantis, quæ nullo non loco & omni tempore patent Principibus ſplendidiſque & omnia ſub imperio habentibus perſonis? Credibile, experiri in motu moleſtiam, atque ex facili delaſſari corpus, ex ſe grave atque oneroſum Spiritui infirmo, & ob id tædioſiori.

§ 14. Cujus itidem argumentum eſt, quod [63] *dormit ſic ſatis bene.* Quamvis enim hoc *bene* fortaſſis eſt exinde, quia [62] *ſomno indulget more ſolito ab undecima veſpertina ad ſeptimā vel ſextam matutinam:* certum tamen, non raro deberi & recte attribui feſſis viribus, earumque refectioni gnaviter & ſecure intento ſpiritui, poſteaquam ſemel obdormivit. Nam ſomnum non ſatis ſemper ex voto contingere melancholicis, & medi-

tabundis, & quos ſollicitant curæ, compertum eſt, & in præſenti oſtendere illud, [63] *ſic ſatis*, videtur.

§ 15. Præterea cui, ſi non imbecillitati Spiritus adſcribemus, quod Serenissima Princeps [50] *nullas aëris injurias perfert?* imo quod [51] *exceſſus ejus in calore aut frigore*, atque [52] *inprimis ventorum inclementiam raro impune ſuſtinet?* Nam immodico ut frigore cutis obduratur, tranſpiratio cohibetur, ſpirituque compreſſo & ob id æſtuoſiori rigores accidunt febriles: ſic immoderato calore calor, præſertim fœmineus, effœminatur, ſegneſcitque cum anima animus, inprimis non admodum natura aut conſilio erectus: unde & raro non videtur velut exſolutione defecturus præ languore, forte & tædio.

§ 16. [52] *Ventorum inclementiam* vero, quoniam illi & ingreſſu corpora humectant refrigerantque, & appulſu conſtipant cutim, & motu exagitant caloremque humoresque, vix eſt, ut valens quis, nedum corpore tenerior & ſpiritu imbecillior, citra afflictionem noxamve aliquam ferat.

§ 17. Quod aër etiam in venas reciproca halandi actione attractus ſubeat, id expreſſis Hippocrates docet l. de Flat. IX. 104: μετὰ πάντων τῶν ἐσθιομένων καὶ πινομένων ἐσέρχεται πνεῦμα ἐς τὸ σῶμα, ἢ πλέον, ἢ ἔλασσον. *Cum omnibus, quæ eduntur bibunturque, ſubit ſpiritus in corpus, multus aut paucus.*

§ 18. Quod non tantum nobili phænomeno probat: ſed & hinc ingentem morborum vim procedere ait t. VI. 78: οὐκ ἄλλοθέν ποθεν εἰκός ἐστι γίνεσθαι τὰς ἀῤῥωστίας μάλιστα ἢ ἐκ τοῦ πνεύματος, ὅταν τοῦτο ἢ πλέον, ἢ ἔλασσον, ἢ

καὶ

καὶ ἀθροώτερον, ἢ καὶ μεμιασμένον νοσεροῖσι μιάσμασιν ἐς τὸ σῶμα ἐσέλθῃ· *Haut aliunde verosimile est gigni infirmitates magis quam ex aëre, quum is aut copiosior, aut parcior, aut confertior, aut inquinatus morbidis inquinamentis subit in corpus.*

§ 19. Quod autem venti eam omnes, quam diximus, naturam habeant, & unde, idem declarat in II. de Diæt. II. 20.

§ 20. Quamvis autem satis evidenter hactenus ex allatis signis liqueat de spiritus paucitate calorisque debilitate; non parvum tamen istis momentum addit, quod [14] *sex abortibus afflicta* fuerit SERENISSIMA PRINCEPS. A quo etiam majus est argumentum, siquidem ἄνευ προφάσιος abortus isti contigerint. Sed &, qui ex manifesta fiunt caussa, merito censentur justo puerperio, ut vitæ periculosiores, ita & sanitati in futurum graviores.

§ 21. Cujusmodi de facili conjicere est fuisse SERENISSIMÆ PRINCIPI: cum dicatur ex abortionibus *afflicta*, ac præter modum male habita; sive à doloribus & vigiliis, sive à nimium copiosis atque repentinis profusionibus, viriumque jactura, aut morbis difficilioribus, quique curari se, nisi operosiore cura, non permiserint.

§ 22. Quorum aliquid si evênit, equidem haut miramur, etiamnum superesse & sentiri reliquias afflictionum, & tot adversitatibus contractæ imbecillitatis. Atque ex his, nisi nos conjectura, imo historia fallit, satis superque constare de primo, de Ventriculi affectu potest.

§ 23. SAN-

§ 23. SANGUINIS quod attinet vitium, id quoque apparet geminum esse: nam & serosior est, & flatulentus; & propter hæc seu virium infirmitati, seu caloris impotentiæ continendæ ac continuandæ aptior.

§ 24. Prioris vitii sese signa nobis exhibent potissimum, præter præteritum unum, præsentia quinque. Horum primum est: quod SERENISSIMA PRINCEPS [8] *splenicis passionibus valde obnoxia* sit. Ubi quidem *passionum* appellatione si recte audimus obstructiones Visceris & hinc oboriri solita symptomata, jam inter hæc vel primo loco habendam esse Seri in sanguine abundantis copiam, tam illustribus & tot documentis Natura monstrat, ut hoc probare velle, sit reapse nihil aliud, quam diffidere Illustrium Medicorum vel diligentiæ in observando, vel industriæ in considerando. Pene in proverbium abiit: *Melancholicos esse sputatores egregios.* At sputationis tam frequentis vix aliunde reddere rationem datur rationabiliorem, quam à redundantia seri.

§ 25. Cujus heic infallibile indicium præbet [30] *fluor copiosi serosi humoris ex ore,* & [31] *qui non prius cessat, quam dolores remittunt*; ceu quorum acerbitate fuit concitatus. Non ignoramus, ejusmodi fluoris scaturiginem passim in Ventriculo quæri. Sed quisquis & difficultates examinabit, quæ eam opinionem premunt; & non gravabitur ex αὐτοψία Salivales dictos & nuper admodum à Cl. Wartono ostensos seculo ductus discere; simul & naturam atque copiam humoris serosi, præterea que multa, quæ quotidiana & suggerit

gerit observatio & notare potest, phænomena considerabit: is procul dubio & planius & certius facere censebit, qui è Sanguine illum arcessunt, creduntque Salivæ in os confluxum, & Urinæ per renes defluxum, esse persimiles Naturæ actiones, & segregationes ejus, quod suo functum officio jam desinit esse ὄχημα τροφῆς; ut recte l. de Alim. f. dictum ab Hippocrate, illo viro fuit, cui magno suo merito, tamquam parenti omnis medicinæ, omnes assurgimus.

§ 26. Verumenimvero, quodnam hujus esse indubitatius argumentum eo potest, quod præsens nobis velut in manum tradit historia? [72] *Vrina*, ait, *libere fluit. Quibusdam tamen, sed incertis intervallis, secundo vel tertio quandoque mense adeo copiosam reddit urinam uno die, ut decuplo potum assumtum excedat.* Quæ copia quid est aliud, quam Seri præter modum luxuriantis exundantia? Quam paulatim coacervari, intervalla loquuntur, quibus eam depletum Natura contendit.

§ 27. Sed istius colluviei quæ caussa? Non enim circa potum, Seri præcipuam materiam, error. Nam [56] *parcissime bibit* SERENISSIMA PRINCEPS: & quidem [57] *cerevisiam claram*, eamque [58] *hordeaceam*, ac [59] *modice lupulatam*: cuique citra controversiam debet, quod ita [72] *libere urinam* reddit.

§ 28. Sed neque *Vinum* caussari idcirco licet, quod [61] *raro hoc bibit*. Esto autem, sit illud parum, quod bibit, vini, caussa Naturam ad se deonerandum invitans: tantæ tamen luxuriei præbere materiam nullatenus potest.

§ 29. Poteſt, & abunde, illud, quod itidem, & prudenter, notatum reperimus: nempe quod [77] *ſudat rariſſime.* Nam ſi ita eſt,ut in Staticis ſect. I. § 59. Sanctorius affirmat (Spatio unius noctis ſexdecim uncias lotii plus minuſve: quatuor cunctorum excrementorum per alvum: quadraginta & ultra per occultam perſpirationem evacuari utplurimum ſolere:) jam habet ratio,ubi admirationem ponat.

§ 30. Quia enim conſtrictiores pori ſunt, præut tranſpirationis neceſſitati ſatisfaciant: idcirco vapores redenſantur in habitu,& in fluorem denuo coacti ſanguinem neceſſario dilutiorem reddunt. Oportet autem egregie denſum eſſe habitum Serenissimæ Principi: quoniam [78] *etiam poſt medicamenta aſſumta* ſudat rariſſime. Denique,quod [71] *alvus quotidie facit officium*, copioſioris ſeri & indicium & beneficium eſt nobile.

§ 31. Quibus adſtituere tandem illud ἐξ ἀναμνήσεως ſignum ratio ſuadet,quod[44] *dentium doloribus ſæpe quoque laboravit.* Quamvis enim Serenissima Princeps [45] *hos,quia aut rariores ſunt,aut non adeo affligunt, aut remediis facilius cedunt, jam non vult intellectos aut conſideratos:* tamen non debuere à nobis negligi; ſicut non ſunt, & provide, neglecti ab Hiſtoriographo.

§ 32. Sane Medicum oportet μηδὲν ὑπερορᾶν. Quippe μηδὲν εἰκῇ, non ſolum à Natura fieri, ſed & in Natura ſolet. Quod autem temere non fit, recte, cum fit, in conſiderationem venit. Fatemur interim, jure illud, ne veniat, ſtipulari quod ad curationem.

tionem. Ergo etiam de priore Sanguinis paret vitio.

§ 33. Alterum dicebamus Ἀνεμίην esse. nam ita Dictator appellat in II. Epid. v. Barbari nostri Ventositatem dicunt: signatissime. Hujus tot & tam expressa exstant signa in historia morbi nobis descripti, ut ne quidem dubitare sinant eum, quem monstratum imus Affectum, corpori subesse.

§ 34. Consideremus & heic singula: cum hac præfatione tamen; videri nobis HEMICRANIAM esse, super qua totius historiæ præsentis cardo versetur, & ad quam, tamquam ad principalem scopum dirigi nostras tum cogitationes omnes, tum & consilii rationes SERENISSIMA PRINCEPS velit jubeat.

§ 35. Quod si vero quis fortassean sit, qui minus recte Dolorem hunc existimet appellatum Hemicraniam: quoniam non sinciput, sed è temporibus dumtaxat alterum invadat, & feriat, & hæreat ei, quod invasit: eum nos rogabimus redire ad textum, & considerare, an quid potuerit, vel ad Morbi ipsius descriptionem accuratius, vel ad Consultoris cujusvis instructionem copiosius dicere, quisquis narrationem concepit infelicis casus, & hoc ipso miserabilioris, quod sua hactenus contumacia eludat omnem vim ac potestatem artis.

§ 36. SERENISSIMA PRINCEPS, inquit, " *singulis mensibus corripitur singulari capitis dolore, hemicrania, circa tempora, nunc in dextra nunc in sinistra parte, hærente & lancinante.* Ubi recte quidem dici-

tur [18] *singularis*, qui neque communis est, neque frequens, & suo in genere eximius.

§ 37. Cujusmodi cum etiam alius esse Capitis dolor queat, distinctionis gratia additum est, [19] *hemicrania*. Scilicet, ut intelligatur, quotquot mensibus dolorem invadere τὸ ἥμισυ τῆς κρανίας. quod Latini eleganter Sinciput, quasi scissum dimidiumque caput, dicunt.

§ 38. Quod tamen ne quis ex æquo putaret dolere totum, ad ulteriorem certioremque διάγνωσιν, ipse adhuc propius designatur locus: [20] *circa tempora*. Scilicet, ut intelligamus, sub paroxysmo dolere quidem Sinciput totum; sed acerbiorem magis dolorem esse *circa tempora*: ibi [23] *hærere*, ibi velut clavum pariete figi: ibi [24] *lancinare*, ibi velut concerpi omnia videri. Sed hoc velut ἐν παρόδῳ.

§ 39. Potioris momenti est, ut expendamus, Dolor iste capiti sit proprius, an adventitius: tum &, quæ sit ipsi Caussa tam acutum dolendi.

§ 40. Quod prius attinet, Hemicraniam hanc pro alio haberi, quam symptomatico affectu posse, haut opinamur. Nec illud velle ipse D. Historiographus videtur. Qua in conjectura si fallimur tamen, jam docendi sumus, quare, [25] *invadit hic dolor*, non morbus, dicat: quare Symptomatum mox appellatione comprehendat; aut, si Morbum putet, à suis consectariis non distinguat.

§ 41. Sed prius omnino, ut longe verius, credimus; & historiam (ubi ait: [27] *quæ symptomata, quando ambulando vincere conatur, augentur*) non tam, nedum

dum solum, respicere ad horrorem & nauseam doloremque ventriculi, hoc est, ad ea, quæ cum principali obtingunt, symptomata; quam ad ipsum, & maxime quidem, principale, sive ad eum Hemicranii dolorem, cum quo cætera & accedunt & recedunt.

§ 42. At quoniam permagni ad curationem inter est, hoc ipsum, quod in dubium vocamus, extra dubitationem esse: si forte non sit, per nos stare non debet, quo minus deinde sit.

§ 43. Dolorem itaque omnem capitis, quo Serenissima Princeps modo corripitur, modo afficitur, symptomaticum esse ostendunt Invasionis tempus, occasio, locus, modus, varii.

§ 44. Tempus primum: principalis enim dolor, quamvis [15] *singulis mensibus*, & quidem [16] *sæpius instante mensium fluxu*; tamen [17] *interdum cessante corripit*. Ubi illa quasi periodica exacerbatio non potest non delitescentem alicubi materiam morbificam, atque adeo stabilem in corpore, caussam doloris, toties repetentis, arguere.

§ 45. Hanc tamen in ipso capite focum obtinere, inconstantia periodi negat. Nam si in capite stabulatur materia, & hæc Naturæ quasi critico menstruorum motu moveri dicenda est, jam reddi ratio debet, quare non semper instante menstruatione, sed aliquando desinente potius commoveatur, doloremque ereet.

§ 46. Quin, quod [40] *afficitur etiam aliis subinde doloribus circa caput*; id omnino ostendit, dolendi materiam capiti communicari. Cui non idem videtur,

exponat nobis, quare tam facile hi remediis cedant, neque ullum sui sensum eo faciant tempore, quod est inter paroxysmos, cum principalis tum intercurrentis doloris.

§ 47. Occasio deinde utriusvis doloris idem omnino dicit. Principalis enim dolor, sicuti recrudescit semper, quoties Menstruum jamjam vel solvendum vel solutum est: ita, & se effectum esse profitetur ejus agitationis, quam facto opus est Naturæ ad hoc opus.

§ 48. Si enim non est, quare non ex quavis alia redit? Imo quare nullus existit intermediis temporibus dolor, præter qui apiscitur novam occasionem, cùm aliis è rebus, tum [41] *præsertim ex aëris inclementia?*

§ 49. Locus præterea ita est varius, ut impossibile sit, non esse capiti symptomaticum tam primum dolorem, quam secundum. Primus enim [20] *circa tempora* sese ostentat maxime, sed [21] *nunc in dextra, nunc in sinistra capitis parte.* In neutra ergo fixam vel humor sedem, vel quæ alia materia habet.

§ 50. Secundus vero, sive ex aëris præsertim inclementia natus dolor, [40] *subinde circa caput* (totum, an anticum? nam & hoc & illud venire appellatione Capitis simpliciter consuevit.) [42] *quandoque in vertice sentitur.* Hoc si non probat vagam doloris materiam; equidem, quid probet, fatemur nescire.

§ 51. Modus denique idem evincit. Est enim utrique dolori suus; si non in invadendo, certe in affligendo: quamquam & in illo haut dubie. De quo tamen

tamen pluribus arbitrari, neque ex historia licet, neque ex conjectura libet. Erubescimus enim, ut Jurisconsulti sine lege, sic Medici sine ratione loqui. At ratio omnis nostra nullo alio niti, præterquam τοῖς φαινομένοις, sive narratione symptomatum debet. Ex his autem luculente paret, invadendi suum cuique modum dolori esse.

§ 52. Quod ad principalem enim: [25] *Invadit hic dolor cum frigore aliquo & horrore, nauseaque & ventriculi dolore.* Quorum nihil de altero testatum reperimus. Priorem quoque desubito invadere, recte videmur ex eo verbo augurare, quo invadendi in præsens ratio designatur. Id est, [18] *corripitur.*

§ 53. Quamquam enim *invadere* (quod & ipsum in emphasi sua significat impetu vel magno aggredi vel celeri irruere) promiscue vulgo dicatur de quovis morbi accessu: tamen *corripere* nemo prudens dixerit de morbo, qui neque magnus est, neque repentinus.

§ 54. Historiæ certe præsentis scriptor circumspecte de accessoriis doloribus: [40] *Afficitur etiam aliis subinde.* manifeste innuens, nihil hos dolores habere præter eum, quem plerique hominum in se solent experiri, morem accedendi & afficiendi.

§ 55. Principalis deinde, posteaquam invasit, *hæret* ea parte, seu dextra seu sinistra, quam hac vice occupavit. *Hærere* vero heic significat, non solum fixam doloris sedem, sed & afflictionis vehementiam, & tractum velut ὁμοτόνως affligendi continuatum.

§ 56. Ve-

§ 56. Vehementia quanta ſit, diſcere argumento eſt, quo majus aliud dicere non eſt. [36] *In ipſo autem paroxyſmo dolores adeo ſunt intenſi, ut nec loqui, nec quicquam cibi aut potus aſſumere, nec corpus ullatenus movere poſſit.*

§ 57. Quæ ſicuti acerbitatem cruciatus, quo Serenissima Princeps tantum non id temporis excarnificatur, ſatis γραφικῶς, quin ὀφθαλμοφανῶς deſcribunt: ita ejus in perſeverando & urgendo pertinaciam produnt, quæ ſalivationem, dolorum vi expreſſam, ajunt non prius ceſſare, [32] *quam dolores remittunt. quod plerumque elapſo ſpatio quatuor & viginti horarum accidit.* Longum revera tempus hoc, ſi æſtimationem facimus, hinc ex teneritudine perferentis, hinc ex furore affligentis.

§ 58. Quæ omnia quamvis adducere in ſuſpicionem poſſe non diffitemur, in Temporum utroque aliquid reſidere materiæ malignioris, quod agitante menſtruatione denuo velut è latibulo exurgat, ſubitoque invaleſcens tam diro torqueat cruciatu: tollitur tamen hæc, quanta etiam videri poſſit, ſpecies per ea, quæ eventum nobis & paroxyſmi finem aperiunt. [34] *Poſthac*, inquit, *inſtar ſanæ ſurgit & comedit more ſolito.*

§ 59. Quomodo enim poteſt *inſtar ſanæ* aut dici aut videri, aut ſe ſuis in rebus gerere, ſi quæ ſuperſunt reliquiæ doloris? aut quomodo hæ non ſuperſunt, ſi quid reliquum eſt peccantis materiæ. quam neceſſum eſt per aërem eſſe. Non ſit, quæ dolorem parit [24] *lancinantem* & locum patientem multis ſimul velut lanceolis incidentem?

§ 60. Ta-

§ 60. Talis vero si sit humor, quo, cessante dolore, tam subito evadit? Non enim foras. neque enim ullius aut sudoris, aut madoris, aliusve excreationis fit mentio. Nam de menstruatione cogitare non licet: saltem non tunc, quando eam dolor consequitur absolutam. Quod si aliò deponitur materia, vincentis Naturæ beneficio translata, quei fit, quod indicium sui nullum exhibeat ea in parte, in quam decubuit?

§ 61. Multo vero magis symptomaticus est, quem SERENISSIMA PRINCEPS [42] *obtusum & refrigerantem in vertice quandoque sentit dolorem.* Nobis enim illud *quandoque*, tam instabilitatem in afficiendo, quam incertitudinem in accedendo significat.

§ 62. Sed probasse satis & abunde, quod intendebamus, ἀποφαντικῶς videmur: quamquam fortasse hactenus contra umbram pugnavimus. Equidem, si dissentit nemo. Tempus est, ut idem quoque κατα-φατικῶς & argumentis demonstremus irrefragabilibus.

§ 63. Quo in negotio ita versari animus est, ut eâdem opera ipsam & veram dolorisque caussam, caussæque fontem ac scaturiginem detegamus & exponamus, si pote, ad claram lucem: nam hoc est, quod requiritur potissimum, & à nobis, & ad curationem prosperam.

§ 64. Huic demonstrationi hoc fundamentum suppono, quod apud omnes, præsertim apud ipsas mulieres in confesso est per experientiam: scilicet, Vix ulli menstruationem evenire sine aliqua contur-

batione aut molestia, minore majoreve. Nam etiam, quæ sanæ sunt, & bene valent, pati se suum morbum profitentur, quando nisi secundum consuetudinem sexus non patiuntur.

§ 65. Recte: siquidem Menstruatio est depletio quasi plethoræ. Recte etiam, si lassitudo spontanea loquitur morbum, ut est Aph. 11. 5. Numquam enim lassitudo abest menstruandæ: certe non consuetæ solvere hoc tributum: certe non fœcundæ & habenti vias ad uterum reseratiores per partiones & purgationes puerperii, præsertim frequentiores & largiores.

§ 66. Replentem vero gravantemque Natura sanguinem ut depleat, fervefacit & rarefacit. Sanguis autem caloris vaporisque plenior, magis æstuat. Æstuare vero, qui deplendus est menstruatione, dudum nos monuit Hippocrates l. de Nat. pu. t. 11. 36. Ταράσσεται τὸ αἷμα ἐν τῷ σώματι κατὰ μῆνα ἕκαστον, ὑπὸ ἀνάγκης. Latine: *Commovetur sanguis in corpore quotquot mensibus necessario.*

§ 67. Recte, *commovetur*. Quippe sanguinem moveri continuo & circumduci naturali periodo, ipsi fuit perspectissimum. Ut &, non posse sanguinem ordinario, nedum ordinato motu efferri foras. Ideo dixit, *commovetur*: Scilicet, ut ostenderet, ad menstruationem opus agitatione & vi majore esse.

§ 68. Idcirco etiam in præcedentibus, dubitatione proposita, quare Uterum gerens, licet menses non prodeant, tamen male non habeat; rationem reddit hanc: quod Sanguis tunc, non ut in menstruatione concitatim & confertim, sed sensim paulatimque defertur ad vulvam.

§ 69. Sed

§ 69. Sed quid opus eſt teſtibus,ubi adſunt rerum teſtimonia. Quotidianis enim comperimur, æſtum illum exundantis ſanguinis ſeſe præſtare, ſicut multorum in validis incommodorum,in infirmis morborum; ſic quoque frequentiorum graviorumque in morbidis ſæpe paroxyſmorum cauſſam prorſus evidentem.

§ 70. Exemplo nobis, ne longius abeamus, SERENISSIMA PRINCEPS eſt. Cui ſuum dolorem menſtruum à menſtruo eſſe, atque ea agitatione,qua hoc Natura laborat ſolvere, tamquam ab occaſione vel interiore & manifeſta cauſſa, credimus non ſolum affirmari, ſed & ὁμοθυμαδὸν ab omnibus,qui ſuper hoc difficili caſu rogati ſunt ſententiam dicere.

§ 71. Certe id oſtendit Tempus, quo Temporis dolor ſolet & reverti & exacerbari. Tempus eſt: ſub initium fluxus,aut finem. [16] *Sæpius inſtante:* quoniam commotio major, & flatus impetuoſior. [17] *Interdum ceſſante:* quoniam ſpiritus effœtior, & flatus copioſior.

§ 72. Qui enim ſpiritus alacriore vi negotium aggredi &expedire initio videbatur,is ipſo in opere defetiſcens, &, quos plures excitarit flatus,digerere nequiens, tantum non ſuæ patitur feſtinantiæ pœnam, & incurrit in malum, quod meliore non videtur poſſe ratione fugere aut fugare.

§ 73. Quod autem ſub fervore menſtruo ſanguis, ut naturaliter vapore roſcido, ita in præſenti vaporoſo flatu reddatur turgidus, eoque multo & crudo, promtum eſt cauſſam indicare copiam ſeroſi humo-

D 2 ris.

ris. quem quidem sui luculentum vidimus indicium facere eo flumine, quo ex ore profluit plerumque integrum diem spatii.

§ 74. Quod enim non prius ab ore fluor cessat, quam in tempore dolor remittit; id arguit, fluoris easdem esse, quæ doloris, caussas. Caussæ sunt repletio & calefactio. Repletio: non sanguinis, sed ejus humoris, quem *ἀντίπαλον τοῦ αἵματος*, *adversarium sanguinis* appellat Ipse in II. de Diæt. XIII. 232. & *πυρὶ πολεμιώτατον*, *igni inimicissimum*, in IV. de Morb. XXIII. Non sanguinis: neque enim ea ejus est in corpore copia, quæ gravare queat.

§ 75. Non esse vero, duo nos docent: assumta atque excreta. De assumtis historia dicit, quæ negent potius, quam concedant plethoram fieri. Dicit enim: [53] *Cibos fere semper parce jam assumit & cum delectu.* Deinde: [56] *Parcissime bibit cerevisiam claram hordeaceam modice lupulatam.* Denique: [61] *Vinum raro bibit.*

§ 76. Quod ad prius, cum Sanguinis multi & boni materia, proxima quidem, Chilus; prima vero, Cibus multus & bonus sit: Serenissima autem Princeps, neque Cibum sumat multum, neque Chilum faciat bonum, quemadmodum Sanguis esse multus & bonus queat? De Cibo liquet ex relatione. De Chilo licuit supra. ubi videlicet argumentis non levibus demonstrabamus superesse Ventriculo quamdam *ἀτονίαν*, tum ex delicto juventæ, tum ob præsentem Calidi infirmitatem. Neque dubitamus, etiam deteriorem fore Chilum, nisi [54] *cum delectu* sumeret

meret probatos & commendatos ab Excellentissimis DD^nis Archiatris; & hos ipsos [53] *parce*, initaque ratione ignis, qui coquere debet.

§ 77. Cæterum illud, quod additur [53] *semper*, suspicari nos adigit, non tantum eam, que SERENISSIMA PRINCEPS utitur, diætam esse parcam, sed & tenuem, & valde atque exquisite. Quæ nostra suspicio nos si non fallit, forte etiam hæc non fallit: per [53] *cibos cum delectu sumtos* intelligi eosdem Nobilissimos DD^os velle ejusmodi, qui sint medicinales, sive ex præscripto & ad medendum apparati.

§ 78. *Cerevisia* deinde, quam bibit, ejuscemodi est; ut facere non admodum ad concoctionem, ad secessionem queat multum. [56] *Bibit* enim hordeaceam, lupulatam, claram.

§ 79. De Hordeo Hippocrates in II. de Diæt. VI. 49: Κριθαὶ, φύσει μὲν ψυχρὸν καὶ ξηρόν. ἔνι δὲ καὶ καθαρτικόν τι, ἀπὸ τοῦ χυλοῦ τοῦ ἀχύρου. τεκμήριον δὲ, ἢν μὲν θέλῃς κριθὰς ἀπτίστους ἑψῆσαι, καθαίρει ὁ χυλὸς ἰσχυρῶς. εἰ δὲ ἐπτισμένους, ψύχει μᾶλλον, καὶ συστήσει. id est: *Hordeum natura frigidum est & siccum. Inest & purgativum quid, à succo palearum. Indicium hujus: siquidem hordeum coxeris non degluptum, succus purgabit valide. Si vero degluptum, refrigerabit magis, & sistet.*

§ 80. Refrigerandi illius, si est, corrigendo vitio incocti faciunt flores Lupi salictarii. Quibus recte in commentariis ad Diosc. IV. 140. Matthiolum adscribere potestatem comperimus calefaciendi, aperiendi, extenuandi, abstergendi, & expurgandi. Quæ vis lupuli major in [57] *clara* quidem, sed recentiore bira.

 § 81. Quæ

§ 81. Qualis heic si, ut credimus, intelligenda venit: jam mitti in disquisitionem debet, annon idem de tenui & aquosiore Bira sit verum, quod de id genus Vinis testatur Hippocrates in eodem II. de Diæt. XIII. 232. jamante laudato. οἱ δὲ λεπτοὶ γλυκέες, inquit, οὐρέονται μᾶλλον, καὶ διαχωρέουσι, καὶ ὑγραίνουσι τὸ σῶμα, καὶ τὸ αἷμα ἀσθενὲς ποιέουσιν, αὔξοντες δὲ τὸ ἀντίπαλον τοῦ αἵματος ἐν τῷ σώματι. Quæ sic videntur elegantius latine reddi: *Tenuia dulcia & per urinas promtius & per alvum abeunt, & humectant corpus, & sanguinem infirmum reddunt, dum augent adversarium sanguinis in corpore.*

§ 82. Zuingerus, hoc de Humore aquoso recte interpretatus, mox dubitabundus rogat, An potius Bilem intelligit? Nequaquam. Nam eo, quem cum isto conferendum monebam, loco, ἰκμάδα ὑδρωπειδῆ vocat. Jam si similis Cerevisiæ non inveteratæ facultas, quæ tenuis dulcisque Vini est, quavis exceptione majus testimonium habemus, potum sanguini gignendo demere, sero addere.

§ 83. De Vino forte jam diximus, unde quis simile argumentum queat desumere. Nam propius de eo nobis arbitrari non licet: quoniam expressim non dicitur, quale SERENISSIMA PRINCEPS sumat. Quod idcirco indictum conjicimus, quoniam tam parum sumit. Parum vero, ut prodest, ita obest parum.

§ 84. Excreta quod attinet, etiam de his referuntur, unde Sanguinis si penuriam arguere non licet, certe nec ullam luxuriam. Sunt autem, quæ huc pertinent,

tinent, duo. Prius est: [68] *Menses justo tempore fluunt, sed parcius, nec tamen decolores.* Posterius est: [79] *Nares parcissimo stillant muco, sanguine autem numquam.*

§ 85. De priore, hoc primum dicam: Ex eo plane constare, extra omnem culpam, imo suspicionem culpæ id Naturæ membrum esse, quod toties, & ex facili non satis vel expertis vel attentis, venire in accusationem solet malorum, ex quibus mulieres magis, quam viri, ægrotant; non tam ratione sexus, quam propter vitæ, quod degunt, genus delicatius molliusve. Quomodo autem non sit, quod menstruum solvit, & justo tempore? Hippocrates Coac. 522: τὰ γυναικεῖα μὴ ἐπιστῆναι, χρήσιμον· *Muliebria non restitare, utile.* Omnino: seu αἴτιον significet, sive σημεῖον.

§ 86. Si ut caussam capimus, meminisse oportet ejus, quod est 1. de Diæt. XXXI. 303: τὰ δὲ θήλεα κάθαρσιν τοῦ θερμοῦ ἐκ τοῦ σώματος ἑκάστου μηνὸς ποιέονται· *Fæminæ calidum è corpore purgant quovis mense.* Quin ista caloris purgatio, simul est doloris levatio. Ita enim est, ut scriptum est in 1. Muliebr. 11: τὸ σῶμα ὑπερπονέει, ὑπερθερμαίνεται ὑπὸ πληθώρης τῇ γυναικὶ καθ' ἕκαστον μῆνα. *Corpus mulieri indolet & incalescit à plethora quovis mense.* Absque illo beneficio si esset, non dubitamus etiam SERENISSIMÆ PRINCIPI ardentiores & diriores futuros cruciatus. Ratio repeti ex his, quæ supra proposuimus, facili negotio potest.

§ 87. Si de signo dictum est, Sanitatis est. Non simpliciter: sed quæ pertinet ad mulierum mulie-

brita-

britatem. Nam quæ hac parte habet bene, sæpe alia habetur pessime. Itaque de ista accipimus, quod iterum Præceptor I. de Septim. VII. 32: τὰ καταμήνια γυναιξὶ τῇσι ὑγιαινούσῃσι φαίνονται καθ' ἕκαστον τῶν μηνῶν· *Menstrua mulieribus sanis apparent singulis mensium.*

§ 88. Sed quei sana audire mulier potest, cui [69] *parcius fluunt?* Nam jam dicemus, hoc aliquibus secundum naturam esse: ut revera est, si absolute sumas, sive pro eo, quod minus est Naturæ modico, sive cotylis duabus Atticis præterpropter: nam ita Noster definit I. Muliebr. XV. Fatebimur potius, SERENISSIMÆ PRINCIPI prodire parcius solito. Neque fatebimur propterea tamen, ex hac parte ægrotare, & proficisci tam dira patiendi caussam.

§ 89. Caussæ, quare nunc intra consuetudinem eant, potiores sunt, & evidentes: Victus parcior, & ejus, quod potiorem mensium partem facit, conversio ad os. Non enim purus putus Sanguis est, quem quovis mensium Natura deponit: nec esse debet. Non esse, sed longe maximam partem Serum; clare colligere ex iis est, quæ leguntur l. de Nat. pueri XII. 86: χωρέει τὸ αἷμα, οἷον ἀπὸ ἱερείου, ἢν ὑγιαίνῃ ἡ γυνή: *exit sanguis, velut à victima, si sana mulier est.* Non debere esse, sane paret ex eo, quod in II. Prorrh. t. XXXIII. diserte damnet, qui fiunt ἀκρήτως, sive sero impermixtos menses.

§ 90. Quos oportere Victui proportione respondere, ita consentaneum est rationi, ut hoc etiam præcepto Præceptor indixerit in I. Muliebr. XXIII. Hortatur enim eum, qui, ἤν τε πολλῆς καθάρσιος δοκέῃ δεῖσθαι, ἤν τε καὶ μή, *multæ purgationis egeat femina, an secus,*

æstima-

æſtimare volet, ἀποσκέψασθαι ἐς τὴν χροιὴν, καὶ τὴν ἡλικίην, καὶ ῥώμην, καὶ ὥρην, καὶ οἵῃ διαίτῃ χρέονται· *attendere ad colorem, & ætatem, & virium poteſtatem, & tempeſtatem, & quali victu utantur.* Erit itaque præſentium hoc judicare.

§ 91. Quos heic nobiſcum ſentire, idcirco nobis perſuademus, quia emphatica ſunt, & tantum non ſententiæ ſuæ χαρακτηριστικὰ illa : [7] *nec tamen decolores.* Nempe hoc, cum ipſorum venia, ſic interpretamur : Paucitatem menſium in malis ducendam in præſenti non eſſe, quia decolores non ſunt. Quaſi enim Excellentiſſimi Medici inter ſe & diſceptaſſent & conſtituiſſent, ita accipimus. Verum eſt, SERENISSIMÆ PRINCIPI [68] *menſes juſto tempore fluunt; ſed parcius.* At hoc, quia intra Naturæ modum eſt, bonum non eſt.

§ 92. Recte quidem : ſed protinus non eſt malum, quod non eſt bonum. Poteſt quid non eſſe φύσει, quod tamen non ſit παρὰ φύσιν. Hippocrates diſerte l. de Alim. IX. 19 : διάθεσις ἀθλητικὴ, οὐ φύσει. Quæ tamen *diſpoſitio athletica*, etſi *naturâ non ſit*, tamen præter naturam non eſt. Facit quippe magnum ad robur : cujus cauſſa ſolebat conciliari, & majore dubites vivendi legum rigore, an fortitudine in ſubeundo præſcriptum tam durum, aut tolerantia in perficiendo negotium propoſiti. Ut non dicam, εὐεξίαν dici Aph. I. 3.

§ 93. Menſium iſta conſueto minor quantitas, certe non eſt naturâ : ſed neque præter naturam. Eſt enim ab eo Materiæ defectu, quem partim Abſtinen-

tiæ id genus facit, ubi æger non assumit, nisi quod oportet; partim Seri, quod se præbere comitem menstruo & ὄχημα debebat, ad os confluxio, propter Naturæ, graviorem morbum judicantis, crisin.

§ 94. Ex utra caussa æstimes, Symptoma in excreto est. Verum, si ex priore, nisi ἀποτυχία non est; sive Naturæ ob errorem, ut loquimur, externum frustratio. Si ex posteriore, hactenus se Morbo debet, quatenus ejus vi fit, quod fit. Hoc ipsum tamen, quod fit, quia Naturæ, sibi suisque quasi consulentis, opus est, non recte morbo, nisi ut occasioni & impellenti caussæ, adscribitur.

§ 95. Quin hoc audemus, re introspecta, amplius: quod in malis videtur, in bonis esse. Quid enim, non pro infallibili Naturæ hactenus valentis haberi indicio debet, quod ejus summum beneficium est? Quid exspectari à Natura, tantopere afflicta, majus potest, quam ut, non intermisso, quod dandum est consuetudini, simul hostem, in ipsam ἀκρόπολιν invadentem, & tanto furore instantem, depellat?

§ 96. Profecto magnum est, duobus magnis simul negotiis se præstare. Salivationem ad evadendum è periculo moliri, & simul Menstruationem peragere, ne quid omisisse de solemnibus videatur, tale est, quod merito satis non quiremus admirari, nisi nos magnus ille Naturæ consultus docuisset in VI. Epid. V. I: Naturam esse νούσων ἰητρὸν, *morborum medicum*: &, ut fit, ἀνευρίσκειν αὐτὴν ἑωυτῇ τὰς ἐφόδους: *adinvenire ipsam sibi ipsi occasiones* rei pro se prospere gerendæ.

§ 97. Me-

§ 97. Medetur quidem illa morbis, οὐκ ἐκ διανοίης, *non per ratiocinationem* : ita tamen, ut se ostendat, quamvis sit ἀπαίδευτος καὶ οὐ μαθοῦσα, *ad hoc neque instituta neque erudita*, VI. Epid. v. 2; tamen τὰ δέοντα ποιέειν, *debita facere*, Aph. I. 1, nutu atque directu ILLIUS, in cujus manu sunt sortes rerum humanarum. οὐ γὰρ ἔνι περιττὸν ἐν ἰητρικῇ τὸ δυναστεῦον. *Non est*, certe non est, *otiosum in medicina Dei numen*; ut pie agnoscit, & magna cum veneratione, Hippocrates l. de Eleg. VI. 99.

§ 98. Naturam vero in præsenti facere, quod faciendum est, menstrui caloris bonitas non sinit dubitare. Plane enim oportebat menses esse decolores, si vel adustione vitiati, vel admixtione vitiosi essent. Cujus anquirendi modum exponit omnis boni nobis auctor in I. Muliebr. t. XXIII.

§ 99. Ad exculpandum porro menstrui parciorem fluxum apud hos, qui forte dubitant, annon conferat saltem ad Temporis dolorem, egregie facit, quod posteriore loco notatum offendimus? [79] *Nares parcissimo stillant muco, sanguine numquam*. Ubi, quod potissimum observes, ultimum est. Hoc autem duo nobis, imo tria, iudubitato significat.

§ 100. Significat primo: quantumvis parcius fluant menses, effluere tamen, quod superest demenso; atque ita adimi ansam suspicioni alicujus plethoræ. Omnino enim, si omnis, qui omni mense redundat, sanguis non depletur, necesse est, vel alia depleri via, vel, si viam non repererit, plethoram facere, aliosque morbos. Istuc respicit, quod est Aph. V. 33. Con-

tra huc, quod verbo dicitur Aph. v. 57. ſed fuſius docetur I. Muliebr. t. 111.

§ 101. Significat ſecundo: ne quidem ſub paroxyſmo Hemicraniæ, ſanguinem in caput præter modum efferri. Quiſquis enim hoc fieri opinatur, & hanc eſſe tanti doloris cauſſam, exponat nobis, quare Natura criſin moliens, ptyeliſmum potius, quam hæmorrhagiam faciat: neque vel ſtilla ſanguinis veram morbive materiam partemve repletam notet. Imo doceat nos, quomodo morbum criſis ſolvat, quæ ipſam morbi materiam non ſolvit. 3° Saliva enim eſt, per quam morbus judicatur, non ſanguis.

§ 102. Significat tertio: Dolorem iſtum non eſſe ab aliquo humore ſanguineo: imo ne ab humore quidem. Fieret enim aliquod indicium vel hujus vel illius. Nam caput laboranti & vehementer dolenti ſolvere morbum ſolet pus, vel aqua, vel ſanguis effluens per nares, aut os, aut aures: Aph. VI. 10.

§ 103. Reſponſet heic aliquis: annon Serenissimæ Principi 3° *ex ore aquæ & copioſe fluunt?* Fluunt: ſed ſalivæ is fluxus eſt. Quem immediate à Cerebro, aut hoc illove Tempore ſcaturire, ecquis potis eſt demonſtrare? Imo quis audebit, qui à Cerebro niſi ad palatum per glandulam pituitariam non dari viam cogitabit? Saltem hactenus non eſt nobis oſtenſa alia. Sicuti nec ulla ad os à Tempore. niſi quis etiam huic putet ſervire, quæ illuc ab aure pertinet. Sed hoc augere difficultatem eſt. Quomodo enim in illam humor pervenit?

§ 104. Volenti vero, quod aquæ poſſint ab eo, quod

quod eſt inter meninges, ſpatio per os cribroſum ad nares, & hinc ad os depluere, contradicit hoc, quod *nares parciſſimo ſtillant muco.* Hoc, ut non dicam haberi ex communi conſenſu ſignum calidi cerebri, nobis indicio eſt, nullo umquam tempore caput SERENISSIMÆ PRINCIPI impleri humore; ſed omnem, quem patitur, pati dolorem à flatibus. Ubi caput humore impletur, ſtupet.

§ 105. Id nos Hippocrates in II. de Morb. t. XII. Qui quia ad rem facit, non pigrabor ex eo apponere, quod eo facit. ὅταν πλήρης γένηται ἡ κεφαλὴ, καὶ τύχῃ ὑπό τινος τούτων διαθερμανθῆναι, νάρκη ἴσχει τὴν κεφαλήν. καὶ ἢν μὲν ῥαγῇ κατὰ τὰς ῥῖνας, ἢ κατὰ τὰ ὦτα ὕδωρ καὶ βλέννα, ἀπαλλάττεται τῆς νούσου. *Quum impletur caput, atque ex hoc vel illo contigerit incaleſcere, torpor occupat caput. Quod ſi proruat per nares vel aures aqua aut blenna, liberatur à morbo.*

§ 106. Quando igitur nulla ſubeſt corpori Plethora, fruſtra heic Antecedentem eorum cauſſam quærimus, quorum cauſſa tantopere laboramus. Ubi ergo? In copia humoris ſeroſi. De qua ne dubitetur, jam ante laboravimus.

§ 107. Accedit nunc hoc: quod nihil iſta Salivatio, niſi ſeroſi judicatio ſit. Hippocrates diſerte III. de Diæt. VIII. 154. σιέλα, πλησμονῆς ἐστι κρίσις. *Salivæ, plenitudinis eſt criſis.* Hanc vero ad morbi remiſſionem facere, itidem ſive dicit Coacar. 230. ſive potius repetit ex lib. de Dieb. jud. II. 19. Γλώσσης τὸ παρὰ μέσον ἄκρου, ὥσπερ σιάλῳ λευκῷ καταλείφεσθαι, σημεῖον ἀνέσεως. *Lingua quod juxta medium eſt, velut ſaliva alba inungi, ſignum remiſſionis eſt.*

§ 108. Sane, si sola linguæ, & solius quod juxta medium est, humectatio signum remittentis morbi est: quomodo non, si toto flumine salivam, & continuato die ac nocte, fundat os, Naturæ hunc esse laborem putabimus ad eam, ex qua laborat, plenitudinem tollendam? Esse vero, eventus ostendit. Simul enim conquiescunt fluorque dolorque.

§ 109. Caussarum, dolori & fluori communium, alteram diximus Calefactionem esse. Esse quidem, duo etiam probant: accessus & modus se sub accessu habendi. De isto D. Historiographus: [25] *Invadit hic dolor cum frigore aliquo & horrore, nauseaque & Ventriculi dolore:* ut &, [30] *cum fluore copiosi serosi humoris ex ore.* De illo autem: [27] *Quæ symptomata quando ambulando vincere conatur, augentur: si lecto se committit, nonnihil minuuntur, excepta nausea.* Quibus denique subjungit: [36] *In ipso autem paroxysmo dolores adeo sunt intensi, ut nec loqui, nec quidquam cibi aut potus assumere, nec corpus ullatenus movere possit.*

§ 110. De priore dicimus: Invadendi istum modum nobis videri plane febrilem. At vero, cum nulla in textu Caloris, horrori succedentis, fit mentio; conjecturam istam in medio relinquemus tantisper, donec id vel observaverint Illustres DD[ni] Archiatri, vel nobis, si opus, indicaverint. Interea, ut ne noster hic στοχασμὸς fortassean præter rationem putetur, qua & quanta similitudine veri nitatur, non debet esse grave nobis exponere: præsertim cum esse id in cynosuram queat rectæ curationi.

§ 111. Principio, [25] *Dolor hic*, menstruus & menstrualis,

ſtrualis, dicitur hoc aut illud Temporum invadere *cum frigore aliquo & horrore.* Ubi quidem τῷ *aliquo* Frigus ſignificari leviuſculum, vix audemus habere in dubiis. Eſt in his tamen: ſitne Frigus hoc fugax, an continuatum toto tempore, quo habet dolor. Eſt enim in Febribus quandoque, ubi inter initia ſolum Frigus eſt, ſed quod non ita diu mutetur in horrorem. Nempe frigus eſt, quæ φρίκη Hippocrati: horror autem, frigus tremebundum.

§ 112. Etenim ἐν φρίκῃσι καὶ οἱ τρόμοι τοῦ σώματος γίνονται, ut eſt l. de Flatib. XI. 117. Videlicet, *in frigore etiam tremores corporis fiunt* tunc, quando Frigus, non ſubito tranſit, ut in correptione Synochi, quam putridam appellant: ſed protrahitur & pervadit ad corpus totum; ſicut in Intermittentium aliquibus.

§ 113. Similis nos dubitatio de Horrore habet. Neque enim divinare poſſumus, levis horriditas nobis, an juſtus horror ſit intelligendus. Iſta quidem, ſiquidem τὸ *aliquo* etiam ad ſequens pertinet. Ille vero, ſi tantum ad præcedens.

§ 114. Priore caſu, ſi Invaſio ita à frigore incipit, ut ocius aut tardius paulo, in horrorem tranſeat invaleſcens; mirum, ſi non ſequatur febrilis calor. Hippocrates l. de Vet. med. XXVIII. 92: ὅταν ψυχρὸν ἐγγένηται, καὶ λυπήσῃ τὸν ἄνθρωπον, διὰ ταχέος πρῶτον δι' αὐτὸ τοῦτο πάρεστι τὸ θερμὸν αὐτόθεν ἐκ τοῦ ἀνθρώπου, οὐδεμιῆς βοηθείης οὐδὲ παρασκευῆς δεόμενον· *Quum frigus eſt obortum, & moleſtia hominem afficit, protinus per hoc ipſum præſto eſt & ex ipſo homine ſua ſponte exiſtit calor, nullius auxili*

lii

lii vel apparatus egens. Quod quibus exemplis probet, utinam ne pigeat videre: ſimul & conferre ad IV. de Morb. XX.

§ 115. Quod ſi ſtatim horror, id eſt, tremor cum frigore adeſt, jam illa occurrunt ex ejuſdem de Vet. med. t. XXIX. 97: οὐχ οἷσιν ἂν ῥῖγος γένηται, τουτέοισιν ὀξύτατος ὁ πυρετὸς ἐκλάμπει; *Nonne, quibus rigor accidit, his acutiſſima febris exardet?* Unde nos: nonne, quos horror invadit, febris excipit?

§ 116. Diximus antea, quod Salivatio ſe ipſo effectu oſtendit eſſe criticam. Huic ſi horror accedit, febris non ſuccedit: jam cupimus doceri, quemadmodum heic locum non inveniat illud in Coac. 321: ὑπόδεινον ἅμα κρίσει ῥῖγος. Ideo enim *metuenda res eſt cum criſi rigor*: quoniam Spiritum ſignificat, vel defetiſci in opera, vel avocari ab opere.

§ 117. Quorum contraria fiunt in præſenti. Nam ſalivatio heic liberatio eſt. Quæ quomodo ſine febre obtingat, nequimus capere. Hippocrates egregie eodem lib. t. XXXI. 106: πᾶσιν ἡ ἀπαλλαγὴ ἐκ μὲν τοῦ ψύξιος διαθερμανθῆναι· *Omnibus evaſio eſt, ex frigore percaleſieri.*

§ 118. Neque vero neceſſe eſt, ut febris, ſi adeſt, ad manum acris ſit. Imo vero duæ cauſſæ ſunt, quare potius eſſe tactu mitis debeat. Priorem conditio, poſteriorem excretio humoris ſuggerit.

§ 119. Conditio ei, qua humiditatem, qua frigiditatem, talis eſt, ut potius, quam ſinat incendi calorem, reprimat, & uſque eo refringat, ut foras non exardeſcat.

§ 120. Cla-

§ 120. Claris hoc Præceptor in IV. de Morb. XXIII: τὸ πῦρ οὐκ ἄπορον, οὐδὲ ἰσχυρόν ἐστιν, ἐν ᾧ ἰκμὰς ἰσάζει, ἢ κατὰ πλῆθος ἡμέας λυπέουσα ὀλίγῳ πλέον ἐστίν· *Ea febris neque ambigua, neque valida est, cum qua aquosus humor, quum caussa nobis ægrotandi est, aut paria facit, aut paulum excedente excessu certat.*

§ 121. Deinde: quia cum horrore mox saliva prodit, humorque victus, nihil caussæ est, sive Febri ad ingravescendum, sive Spiritui ad intendendum vires. De rheumatis diserte ὁ αὐτὸς l. de Vet. Med. XXXIII. III: ὅταν παχύτερα καὶ πεπαίτερα γένηται, καὶ πάσης δριμύτητος ἀπηλλαγμένα, τότ' ἤδη καὶ οἱ πυρετοὶ λύονται, καὶ τἄλλα τὰ λυπέοντα τὸν ἄνθρωπον· *quum crassa & cocta erunt; atque omnis acrimoniæ expertia, tum & febres solvuntur, & quæ præterea dolore hominem afficiebant.* Salivæ rheuma nisi talis esset SERENISSIMÆ PRINCIPI, monuissent nos, qui nostras cogitationes ibant informatum.

§ 122. Quibus hoc denique accedit, quod nullam vel speciem habet veri, tam gravi, tam acri, tam cruciabili & continenti aliquem dolore affligi, & non febrire interim. Ipse dolor, quicumque vehemens est, quasi species febris est. Non sit autem is, quem materia facit violenta? quam & Natura superare nisi per vim non est potis.

§ 123. At quæ est illa vis, quam admovet ad materiam morbificam velut arietando expulsandam, si Febris non est; sive ipse Naturalis calor (quem Galenus de Usu part. XIV. 6. primum Naturæ instrumentum vocat) eatenus auctus, ut modum, hinc qui-

dem ordinariis functionibus debitum excedat, hinc contra acquirat convenientem operi extra ordinem gerendo?

§ 124. Non possumus non in hanc rem etiam ea adducere, quæ leguntur eodem l. de Vet. med. XXXIV. 117: ὅσον δ' αὖ χρόνον ταῦτα μετέωρα ᾖ, καὶ ἄπεπτα, καὶ ἄκρητα, μηχανὴ οὐδεμίη οὔτε τῶν πόνων παύσασθαι, οὔτε τῶν πυρετῶν. *Quamdiu autem ista* (quæ morbi sunt materia vel caussa) *seditiosa sunt, & cruda, & mera, nulla ars aut dolores sedare, aut febres potest.*

§ 125. Hisce tandem omnibus addatur & comparetur historia Morbi capitis, innominati quidem, sed accurate descripti in II. de Morb. t. XVI. apud Foësium sect. V. pag. 24. lin. 31. ibi: ῥῖγος, ὀδύνη καὶ πυρετοί. Quam historiam quisquis examinabit, nostram fidem, si non fatebitur, vel eamdem cum proposita, vel ei esse quam proximam.

§ 126. Quod enim est in admodum paucis symptomatis discrimen, id unde sit, facile est rationem invenire. Ibi enim morbus trahitur: in nostra statim vincitur. Ibi tractu res in periculum devolvitur: at nostra statim periculo defungitur, quia statim materia peccans excernitur. Quæ contra eadem sunt utrobique, usque adeo sunt & manifesta & collatu promta, ut merito habendi simus tempus decoquere, si longum his inhæreamus.

§ 127. Prætermittere interim silentio & non rogare Nobilissimos DD^nos Archiatros non sustinemus, ut considerare velint, an non etiam Lipyriæ quædam species comitetur SERENISSIMÆ PRINCIPIS dolores:

res: de hac autem non prius arbitrari, quam consideratis, quæ in eam rem leguntur l. de Judic. t. IV. apud Foësium sect. 11. pag. 21. lin. 20. ibi: οἱ δὲ λοιποὶ. ut & posito præjudicio, quod vulgo de Lipyria febre habemus.

128. Hactenus ex nostra, ut professi sumus, conjectura. Quam si, non tam allata non una ratio, quam ipsa observatio verat; jam in propatulo Efficiens caussa tum doloris tum fluoris est.

§ 129. Nauseam quod attinet, de ea hoc unum modo monemus, videndum esse, in quantum applicabile ad eam sit, quod est 1. Epid. 11. fine κατας. β'. οἷσι βαρέα μὲν ὅλης τῆς κεφαλῆς, καρδιωγμοὶ δὲ καὶ ἀσώδεές εἰσιν, ἐπανεμέουσι χολώδεα καὶ φλεγματώδεα. Pro quibus interpres: *Quibus gravitates quidem totius capitis, oris autem ventriculi morsus adsunt, & nauseabundi sunt, hi biliosa & pituitosa vomunt.* In græcis quanto plus & significantiæ sit, & quod faciat ad propositum casum, non potest latere expendenti verba, & conferenti cum iis, quæ de diritate paroxysmi perhibentur. In vomitum nausea quod non exeat, salivatio facit.

§ 130. Quod si porro ad modum attendimus, quo sese Serenissima Princeps ipso in accessu habet erga quædam corporis officia, videntur prorsus, quæ de eo referuntur, conjecturam nostram confirmare. Quod enim adventante paroxysmo dolor, & frigus, & horror, & nausea, & cardialgia, hæc symptomata, quando vincere Serenissima Princeps ambulando tentat, potius augentur; id esse aliunde

nequit, quam quod concepti jam ſanguine flatus agitentur magis. Ὅκως δ' αὖ ὁρμήζωζιν αἱ φῦσαι πλήθει καὶ ψυχρότητι, τοιοῦτο γίνεται καὶ ῥῖγος, inquit Senex l. de Flat. XI. 114. Senſus eſt : *Pro copia & frigiditate ſua flatus facere & impetum & horrorem.*

§ 131. Quomodo autem ab eiſdem fiat Capitis dolor, ſequente mox t. XIII. 139. exponit. Ubi hoc ſingulatim meretur notari, quod cum eo fiant σφυγμοὶ ἀμφὶ τοὺς κροτάφους, *pulſus in temporibus* validi & concitati.

§ 132. Quibus, lucis cauſſa, hoc unum verbum ſubnotamus : Hemicraniam flatus inducere, quia & vaſa (quæ per ejus lateris meningem & temporalem muſculum ejuſque præſertim paſſum mediumque tendinem diſcurrunt) ipſa diſtendunt tumefaciendo, & membranas divellunt ſuo tumore. Aucto autem dolore capitis, quid augeri Nauſeam miramur, ſi intelligimus rationem Aph. VI. 50. quem & in Coacis habet II. 507.

§ 133. Quod ad Cardialgiam denique, quemadmodum neceſſe eſt, ἀνιώμενον φρίσσειν τὸ σῶμα ita & φρίσσον ἀνιᾶσθαι. Utrumvis experientia docet. Et cui vero incompertum eſt, quod, *qui angitur, horret; qui horret, anctatur?* Iſtud Hippocrates habet lib. de Morb. ſacr. t. XVIII. Illud autem facile admittimus, ſi non neſcimus (at quei neſciamus?) anxietatis ſedem in Corde eſſe, & huic miro modo conſentire, quod Cor quoque, & ex ipſo, VI. Epid. VII. vocamus, inde ab immemorabilibus ſeculis.

§ 134. Sic &, quare fiat, ignorare nequeunt, qui intel-

intelligunt, quid ſit, refrigerari loca, ὅκου αἱ πηγαὶ καὶ αἱ ῥίζαι τοῦ αἵματός εἰσι· *ubi fontes & radices ſanguinis ſunt.* Ita enim appellat l. de Flat. x. I I I. quod & plenius oſtenditur l. de Corde t. v.

§ 135. Sicuti vero ſub acceſſu, corpus ſi agitet SERENISSIMA PRINCEPS, gravius: ita, ſi quieti det, mitius habet. In verbis tria notamus. Primum: quod de ſymptomatis iſtis dicitur, [28] *nonnihil minuuntur.* Secundum: quod hæc minutio tum demum eſt,[28] *ſi lecto ſe committit.* Tertium: quod [29] *excipitur nauſea.*

§ 136. Primum tale eſt, ut æſtimare, niſi ex ejus, cui opponitur, comparatione nequeas. Ibi motu corporis, eoque leni, ambulatione, & quidem feminæ, & quidem principis, dicuntur ſymptomata augeri; ſimpliciter & ſine reſtrictione ulla.

§ 137. Quod quid aliud poteſt ſignificare, quam hinc ob Morbi vim, jam concepti venis, & quæ crabronis inſtar vel minimum impune ſe non ferat irritari; hinc ob Spiritum occupatum & impatientem addi afflictionem afflicto? Spiritui certe anxio parum laboris ſatis eſt ad oppreſſionem.

§ 138. Contra heic dicuntur [28] *minui* quidem, ſed ita, ut ſi non ſit nihil, quod de eorum vigore decedit, vix tamen ſit effatu dignum. Decedere enim quidquam ſymptomatis, cum quibus invadit paroxyſmus, nequit, niſi victis à calore. Vinci autem tum demum incipiunt, quando incluſus, ἀντιπεριστάντος craſſorum crudorumque flatuum, cordi Calor ardentius ſuum ipſe ſanguinem incendit, paulatimque

gliſcens vires eundo ſumit, & in corpus ſe diffundit.

§ 139. Explicate hoc Præceptor l. de Flat. XII. 132: ὁκόταν δὲ συναλισθῇ ἀθροϊσθὲν τὸ πλεῖστον τοῦ αἵματος, διαθερμαίνεται πάλιν ὁ ἀὴρ, ὁ ψύξας τὸ αἷμα, κρατηθεὶς ὑπὸ τῆς θερμότητος. *Quum vero confertim coactum fuerit plurimum ſanguinis, percaleſcit denuo aër* (ſive flatus,) *victus à calore*. Unde facile eſt, ut nobis perſuadeamus, illud, [28] *nonnihil minui*, nihil velle præter quod δυσφορωτέρως ferat acceſſionem SERENISSIMA PRINCEPS, quando ſe ad ferendum componit potius, quam ad vim vi quaſi repellendum.

§ 140. Iſtam interim qualemcumque tolerandi commoditatem SERENISSIMA PRINCEPS quod non percipiat abſtinens à motu, niſi etiam [28] *lecto ſe committit*; hoc quoque & vim invaſionis & ſubſecuturæ mox afflictionis magnitudinem indicat & oſtendit clare. Nam ita occupari ab accedente morbo Spiritum innuit, ut laborare in geſtando corpore non ſuſtineat.

§ 141. Etenim etiam corpus ſuſtinendi difficilis eſt labor Spiritui, quum ejus in muſculos influxui flatus cœpit in arteriis intercedere. Vim quippe movendi ab impulſu ſanguinis eſſe, multa probant. In quæ heic tamen locus anquirendi non eſt.

§ 142. Iſtam vero difficultatem etiam augeſcere torpore, quem quilibet [25] *cum frigore* invadens paroxyſmus adducit ſecum, quis ignorat expertus febrim, quæ & certum circuitum habet & ex toto remittit? Et quis eſt, qui ſub eadem non didicit moleſtiſ-

leſtiſſimum frigus evadere, ſi diſtulit maturius operiri &, antequam inhorreſceret, multa veſte tegi?

§ 143. Quod cum facit SERENISSIMA PRINCEPS, conſulit ſibi. Ita enim ab externi aëris vindicata injuriis, nec fatigata motu, non poteſt non & pacabiliores dolores experiri, & judicationem paroxyſmi ſecundiorem. Hoc promittit Aphor. 11.48. plena ſignificatione.

§ 144. Sed quare non æque [29] *Nauſea* fit minor? Quoniam decumbendo non tollitur cauſſa. ſive eam Cruditas facit, onere gravans & provocans: ſive Sanguinis flatulenti, dum per ventriculi circumit tunicas, dilatans tepor; eo modo, quo potus tepefactu nauſeoſus.

§ 145. Cui rei argumento eſt, quod in febribus maxime & nauſea & vomitus fiunt, quando ex horrore incaleſcimus. Non enim, quando frigemus: niſi multa ſaburra in tantum præcordia gravet, ut periculum videatur à præfocatione. Non etiam, quando calemus: niſi provocent humores in ventriculo accenſi aut in eum confluentes & mordicantes.

§ 146. Nauſeæ vero hujus etiam planior videtur futura ratio conſideranti, quemadmodum aliquibus parce cœnatis ex muſto non multo fiat, cum ſurgunt è ſomno & ſe induunt. Hippocrates II. de Diæt. XIII. 233: γλεῦκος φυσᾷ, ὅτι θερμαίνει: *muſtum inflat, quoniam calefacit.*

§ 147. Calore enim, quod in muſto crudum eſt & aqueum, πνευματοῦται καὶ διαλύεται, non modo in flatum vertitur, ſed & amplius compage ſoluta vehe-

mentius

mentius agitatur in gyros : unde partium, quas invadit, impletiones atque distentiones, necessario consequuntur.

§ 148. Quicquid sit, non potest ista nausea sine æstu interiorum esse, & sine fluctuatione Spiritus, sese à flatibus vindicare satagentis.

§ 149. Quod quia facere, nisi calefaciendo & rarefaciendo, non potest, idcirco est, quod [36] *in ipso paroxysmo dolores adeo sunt intensi, ut ne loqui quidem* SERENISSIMA PRINCEPS sustineat ; [39] *nedum corpus ullatenus movere ; nedum cibi aliquid, potusve sumere.*

§ 150. Ubi hoc obiter notamus : ex eo, quod invasionem paroxysmus sequitur, sive exacerbatio gravior, tantum non certos nos reddi, adesse febrim. Ab hac enim Crudum sanguinis *τήκεται πυρούμενον, καὶ γίνεται πνεῦμα, liquitur accensum,& fit flatus*,sive tenuior & concitatior & violentior vapor.

§ 151. Sed dixerit fortasse quispiam : quomodo ergo fluores generantur à flatu ? quomodo salivatio fit ? Respondemus cum nostro, toties laudato l. de Flat. XII. 128 : *ὡς ἀπὸ τῶν λεβήτων ἀτμὸς ἀνέρχεται πολὺς, ἑψομένου τοῦ ὕδατος· οὕτω καὶ σώματος θερμαινομένου, διέισι διὰ τοῦ στόματος ὁ ἀὴρ, ξυνεστραμμένος, καὶ βίῃ φερόμενος· Quemadmodum à lebete vapor surgit multus, quum aqua fervet : sic &, corpore calefacto, aër os perfundit, conglobatus & vi eo delatus.*

§ 152. Salivam, præsertim criticam, ex spumeis minutisque bullulis, intra se aërem sive attenuatum flatum vehentibus conglobatum fluorem esse liquet obser-

observanti. Si istud non est satis, satis esse debet, quod Salivatio ista sit critica, Naturæ beneficio procurata, & ad paroxysmum eo tempore judicandum, ut alias per Sudorem solet. Una enim salivæ & sudoris materia est.

§ 153. Tantum de natura & caussis Affectus propositi, sive Hemicraniæ menstruæ quam inscripsimus, quod [15] *singulis mensibus* revertatur.

§ 154. Equidem ista nos prolixius: non quod quidquam omnium, quæ diximus, ignotum putemus Excellentissimis & Celeberrimis DD^nis Archiatris, quibus hactenus demandata SERENISSIMÆ PRINCIPIS cura fuit: neque ad aliquam eruditionis, quam nisi tenuem & curtam in nobis non agnoscimus, ostentationem: sed ad nostram primum SERENISSIMÆ PRINCIPI testandam voluntatem pronam & promtam in ipsius omne obsequium, tum & probandam Illustribus DD^nis Archiatris cum diligentiam in pensiculando etiam minutissima quæque, tum satagentiam in satisfaciendo officiosæ ac benevolæ illi rogationi, qua nos dignati sunt rogare, [82] *ut sententiam nostram, quam fieri potest* [84] *accuratissime exponamus.*

§ 155. Memores itaque, boni Medici esse præsertim in re ardua, præsertim in persona splendida, præsertim in Principe tam excelsa & cunctis cunctorumque laudibus majore, *πᾶν τὸ ἀποδειχθὲν ἐκφέρειν, nihil sine demonstratione proferre* (nam ita præcepit, qui & præstitit, admirandus Senex l. de Eleg. II. 42:) nostrarum omnino partium existimavimus, hac parte

ne in minimo quidem deesse. Quod itaque summo nos studio decebat niti, nisi sumus. Quæ ratio, quod peccare in prolixitate, quam obscuritate maluimus.

§ 156. Sed ad alteram, quæque principalis est, Consilii partem adeamus, ad Methodum curandi. Nam & de [83] *remediis* rogamur, & de his maxime oportet esse sollicitos, qui tam volunt, μὴ λόγῳ μοῦνον (ut est in Lege t. III. 31) ἀλλὰ καὶ ἔργῳ ἰητροὶ νομίζεσθαι· *non sermone tantum, sed & opere Medici haberi*: quam nolunt gubernatoribus ab Hippocrate adsimilari malis, l. de Vet. med. XVII. 47.

§ 157. Hac autem in re & summa difficultas est, & major ignaris, quid hactenus sit actum, & quo eventu. Itaque fieri vix potest, ut non incidamus in eamdem Auxiliorum materiam, quæ jam in usu fuit. Quin id certo fiet, si eadem utrobique sentimus de Affectu ipso. Sic enim necesse est per easdem incedere Indicationes ad materiæ, qua juvandum est, tam selectionem, quam administrationem.

§ 158. Fiet interim hoc non uno fructu. Nam & confirmabit Nobilissimos DDnos Archiatros in sententia, & erit ad persuadendum SERENISSIMÆ PRINCIPI, ut ne placeat, statim condemnare, si quid non statim profuit; quoniam sæpe pertinacia juvantis, malum corporis vincit: saltem non removeat, si quid paulum saltem juvat; quia profectus tempore expletur: sicuti prudentissime monet Celsus, ille excelsus, & quo post Hippocratem alius non fuit prudentior medicus, lib. III. cap. I. & 12.

§ 159. Quem-

§ 159. Quemadmodum vero peritus Sagittarius nisi in præstitutum scopum non intendit & dirigit & amittit, & ut feriat præmiumque auferat: sic, & multo magis, debet fidelis Medicus videre primum, qui sint Scopi suis ad consequendum Sanitatem actionibus propositi.

§ 160. Ita enim est, ut Hippocrates inquit l. de Arte t. xx. 96: ὅδ᾽ ἢν μὲν ἀρκέσῃ πρὸς τὸ ὀφθῆναι, ἐξαρκέσει καὶ πρὸς τὸ ἰαθῆναι. Pro quibus ecce latina cum aliquo fœnore. *Quisquis* medendi præceptis probe & instructus & exercitus *suffecerit*, tum *ad videndum* ea, quæ Natura in auxilium contra morbum postulat, & Morbus ipse sibi contraria dictat; tum ad inveniendum & comparandum illa in præsens Instrumenta, quæ, si rite administrentur, natura & arte sunt apta nata valere contra vim morbi: is *& abunde sufficiet ad sanandum.* Ita enim est:

Si quam rem accures provide atque industrie,
Solet illa recte sub manus succedere.

§ 161. Itaque, ut methodo procedamus, indicandi primum nobis Scopi veniunt, sive intentiones, quos habere medentem ante oculos oportet in omni Remediorum materia offerenda prospere, hoc est, suo tempore, loco, modo. Quod ut præstemus, operæ erit summatim repetere, & sub unum intuitum collocare, quæ antea multis de Affectus cum natura tum caussa proposuimus. Summa autem & tantum non ἀνακεφαλαίωσις dictorum, hæc est.

§ 162. SERENISSIMÆ PRINCIPIS Affectus sunt quatuor. Quorum ista, quam exhibemus, series

est, si ἀνάλυσιν sequimur Artis: sicut reciproca, si γένεσιν spectamus Naturæ, nostris utplurimum erroribus adactæ ad morbos faciendum.

§ 163. Unus est, [1] *Hemicrania periodica.* Qui specie principalis, revera symptomaticus est. saltem nisi Paroxysmus non est, cum mense & mensibus revertens, & cum Salivatione, ceu subita crisi, recedens.

§ 164. Secundus est, [2] *Anemia Sanguinis.* Qui, ut caussa sub paroxysmo cruciatuum, ita effectus effervventis, ad Seri plenitudinem deplendam, Spiritus sive nativi caloris est.

§ 165. Tertius est, [3] *Congeries seri.* Qui & præcipuus Affectus est, & caussa præcedentium. Etenim Serum sese & materiam Flatibus præbet, & πρόφασιν Spiritui ad fervendum, & inflandum, & dolorem inflatu, & salivationem confluxu ciendum, perque eam dolore simul & omni in præsens labore defungendum.

§ 166. Novissimns est, [5] *Atonia ventriculi.* Qui ut fuit primogenitus Naturæ, non sua tamen culpa, exerrantis filius: ita & genitor cunctæ, quam videmus, progeniei est.

§ 167. Constitutis Affectibus curandis, proximum est, ut constituamus Methodum cujusque curationis. Nam quot Affectus, tot nos curæ manent. Omnium vero communis Indicatio, ablatio est. Sed hæc, quia generica, etiam inutilis est, nihil sapiens supra id, quod etiam rusticus novit, & cerdo quilibet.

§ 168. In

§ 168. In concursu tamen multorum Affectuum, caussa quærendi est, Quis prior omnium debeat auferri? Procul dubio is, qui magis urget. Quis autem magis urget? Procul dubio, qui vel effectu sævior, vel efficiendo prior est. Ille, quia præceps in periculum est. Ille, quia, qui caussa est, non curato, nequit, qui effectus est, umquam curari. Hoc modo urgentior Ventriculi atonia: illo contra, Hemicrania est.

§ 169. Itaque hinc exordium sumamus potius, quo desiderio satisfaciamus citius. Nam videtur, ut & ante dicebamus, hæc esse sponsa, cujus gratia omnis nostra saltatio est. Si est, de facili impetrabit veniam cancrinæ methodo.

§ 170. Hemicrania igitur considerari vel ut Morbus vel ut Symptoma potest. Morbus est, quatenus est Dolentis vel spiritus laceratio vel partis inflatio. Qua laceratio, obtusionem: qua inflatio, Discussionem indicat.

§ 171. Obtusioni heic quemadmodum possit satisfieri, perseverante inflatione, non video. Neque inflationi, quamdiu æstus durat, & flatuosioris per eam partem sanguinis concitata periodus, ut appellat Hippocrates l. de Insom. XIII. 144. Si qua tamen spes mitigandi dolorem est, esse in his debet, quæ Flatui nimium urgenti viam faciunt foras.

§ 172. Quæ hanc præstet Materia, omnis & calida esse & tenuium partium debet: ut & materiam digerendam attenuet, & attenuatam digerat. Utrumlibet egregie facit gummi, quod Caraña vocant,

vino solutum & cum exigua portione Masticheș serico inductum pro emplastro.

§ 173. Fomento enim, de quo forte aliquis cogitet, intolerantia motus contradicit. Sicut litui ex oleis, si non proprietas cutis, certe obstipatio cutis. Idcirco enim plurimis olea cuticulam in pustulas tollunt, quia sistunt τὴν διαπνοὴν τὴν ἄδηλον, *perspirationem immanifestam*; præsertim si biliosa est.

§ 174. Sin autem consideretur Hemicrania tamquam symptoma paroxysmi, sive æstuantis sanguinis, quemadmodum revera est: hoc unum indicat (si hoc est indicare,) exspectandum esse, donec ejus deferveat caussa. Quippe hunc, quantumvis rabidum, dolorem evanescere, ubi subsedit æstus, velut umbra remoto corpore, jam toties eventus docuit. Cui bono igitur, sollicitis esse ea de re, cujus remotio solius Naturæ munus est?

§ 175. Interea, ut etiam maturius hoc Serenissima Princeps consequatur, roganda officiose, ut protinus, quum jam vel minimus se ostentat anteambulo paroxysmi, esse in lecto velit. Imo, si præsciri tempus accessionis potest, potius eo die non surgere, sed quiete & calore vim exacerbationis etiam amplius frangere. Quum enim minus molesta sit statim ab invasione decumbenti; certa spes est, etiam minus molestam fore, in his eam, quæ diximus, opperienti.

§ 176. Ergone in Paroxysmo nihil faciendum? Profecto nihil. Ita enim jubet Aph. 1. 11. ut & undevigesimus ejusdem libri. Si namque noxium est,

sub

sub paroxysmo cibum: quanto magis erit, medicamentum dare? Quamobrem, sicuti recte cibo se SERENISSIMA PRINCEPS abstinet, durante paroxysmo, ita nec debet ἀναγκάζειν, ullisve ad quid sumendum precibus persuaderi.

§ 177. Quin expressum præceptum est Aph. I.20: Τὰ κρινόμενα μὴ κινέειν, μήτε φαρμακείῃσι, μήτ' ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ' ἐᾶν· *Quæ judicantur, ne moveto, neque medicamentis, neque ullis irritamentis, sed sinito.*

§ 178. Heic judicium exercere Naturam, & se deoneratum ire à serosa plenitudine, tam est ex Salivatione clarum, ut, hoc si quis non videat, media die nobis cæcutire videatur. Non est vero, ut quis additam à Præceptore conditionem urgeat: si δεξιῶς, si bene. Nam si uspiam, heic bonum est hoc judicium: & sane quod ad omnem, quam significare istud adverbium potest, vel circumstantiam, vel qualitatem. Et quis credat, si in ullo ulli suæ parti Natura non faceret satis, futurum, ut [34] *instar sanæ surgat* SERENISSIMA PRINCEPS non absoluta judicio.

§ 179. Quod si nostra conjectura, Paroxysmum hunc esse febrilem, ita certa est, ut propter allatas pridie rationes visa est esse, & vix potest non esse, jam multo etiam magis suademus, nihil, nihil prorsus, vel ante paroxysmum, vel sub paroxysmo moliri: sed ἡσυχάζειν, καὶ τὸν κάμνοντα, καὶ τὸν ἰητρὸν τῆσι θεραπείῃσι· *penitus abstinere, cum ægrotantem, tum medicum ab omni curatione.* Et qua hoc de caussa tam serio? ὅκως μὴ κατεργάζηταί τι κακόν· *quo ne quid alteruter committat mali:* inquit Hippocrates in III. de Morb. t. XXIV.

§ 180. Ægro-

§ 180. Ægrotanti quidem nihil accidere gratius poteſt, quam ut liceat ſibi quieto eſſe, & excuſato ab omni medicina, interim dum *καταιγίζουσιν αἱ νοῦσοι*, ſive paroxyſmis velut *procellis furunt morbi.*

§ 181. Debet & Medicus, ſi neſcit, diſcere; ſi ſcit, velle nihil eo tempore agere. Hoc autem lubens meritoque volet, quiſquis intelligit Febrim eſſe & Naturæ opus & tale quidem, quod ipſa ſibi in auxilium parat contra graviſſimos quoſque, & periculoſiſſimos morbos.

§ 182. Naturæ opus eſſe, multis locis ait Hippocrates. Siſtimus nunc unum & alterum. Priorem ex l. II. de Morb. XX. *Φημὶ δὲ τὸ πῦρ εἶναι, ὅ, τι ἂν ἀπὸ τοῦ σώματος πῦρ λάβῃ τὸν ἄνθρωπον· Dico autem febrem eſſe, ſiquidem ab ipſo corpore ignis præhendit hominem.* Nota: *ab ipſo corpore.* Quod quid eſt aliud, quam proprio motu? Ita ſe explicat ipſus de Vet. med. XXVIII. 92: *παρέστι τὸ θερμὸν αὐτόθεν ἐκ τοῦ ἀνθρώπου· Exiſtit calor per ſe ex ipſo homine.* quæ verba jamante & copioſius exhibuimus.

§ 183. Sed dubitare nullo modo ſinit poſterior locus, qui eſt I. de Morb. VI. *Γυναικὶ*, ait, *ὑπὸ σπασμοῦ πιεζομένῃ ἐκ τόκου, πυρετὸν ἐπιγενέσθαι, ἀγαθόν. καὶ τετάνου ἔχοντος καὶ σπασμοῦ, πῦρ ἐπιγενέσθαι, ἀγαθόν. Mulieri convulſione ex partu vexatæ, febrem ſupervenire, bonum. Etiam quem tetanus habet, aut convulſio, ignem ſupervenire, bonum.*

§ 184. At, bone Senex, hæc nos, cum eveniunt, maxime terrent. Fortaſſe, quoniam neſcitis, *ὅτι τὰ τοιαῦτα δι' οὐδεμίην οὔτε ἀμαθίην οὔτε σοφίην ἰητρῶν, γίνεταί*

τε καὶ

τε καὶ οὐ γίνεται, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου, καὶ ἐπιτυχίης γινόμενά τε ὠφελέει, καὶ βλάπτει κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον· *quod iſta per nullam vel imperitiam vel ſapientiam medicorum fiuntve aut non fiunt, ſed ſponte ſua*, ſine adminiculis ullis: *& ſiquidem proſpere eveniant, juvant; ſin aliter, nocent.*

§ 185. SERENISSIMÆ PRINCIPI quod ſua febris, certe ſuus paroxyſmus proſperrime eveniat, ſumma, in quam deſinit, integritas verat. Quæ ita eſt pro ſpe atque votis ſecunda, ut, quid obtingere optatius queat, ne mente quidem aſſequi queamus. Nam poſt illum [34] *inſtar ſanæ ſurgit & comedit more ſolito.*

§ 186. Naturam vero febrem, ut ſua ſponte excitat, ita adhibere pro remedio adverſus omne pene genus morborum, præſertim ubi materia aliqua, vel impura ſecernenda vel aliena excernenda eſt, locis Hippocrates innumeris dicit. Rogamus nunc iſta dumtaxat conſiderari, quæ dicuntur Aph. II. 26. & Coac. 358. Aph. IV. 57. & Coac. 157. Aph. V. 5. & de Morb. II. 6. Aph. V. 70. & I. Epid. III. 4. Aph. VI. 40. 44. 51. & Coac. 475. 161. Aph. VII. 52. & Coac. 449.

§ 187. Non continemus nos, ut ne dicamus iſta Celſum, illum virum, intellexiſſe probe. Etenim lib. II. cap. 8. in quoque morbi genere proprias notas explicaturus, quæ vel ſpem, vel periculum oſtendant, ita de hac re loquitur pag. meæ edit. 70. l. 1: *Denique febris ipſa (quod maxime mirum videri poteſt) ſæpe præſidio eſt. Nam & præcordiorum dolores, ſi ſine inflam-*

 matione

matione sunt, finit; & in jocinoris dolore succurrit; & nervorum distentionem rigoremque, si postea cœpit, ex toto tollit; & ex difficultate urinæ morbum tenuioris intestini ortum, si urinam per calorem movet, levat.

§ 188. Eapropter est, quod lib. III. cap. 9. p. m. 138. l. 9. dicat, *esse circumspecti quoque hominis, & novare interdum, & augere morbum, & febres accendere: quia curationem ubi id, quod est, non recipit, potest recipere id, quod futurum est.*

§ 189. Quibus consilium addo curandis febrium lentis ab ipso datum eodem segmento, p. 137. l. 5: *At, si diu frigus est, & torpor, & jactatio corporis, non alienum est, in ipsa febre dare mulsi tres aut quatuor cyathos, vel cum cibo vinum dilutum. Intenditur enim sæpe ex eo febris; & major ortus calor simul & priora mala tollit, & spem remissionis, inque ea curationis ostendit.*

§ 190. Quæ ipsa tamen etiam ab Hippocrate, ut omnia pene, accepit. Videre id, cui otium, potest l. de Loc. in hom. t. XLVII. & VI. Epid. V. 10. Ceterum ista ejus sunt generis, quæ πολλοὶ θαυμάζουσιν, ὀλίγοι δὲ γινώσκουσιν· *multi mirantur, pauci intelligunt*, ut est I. de Diæt. XX. 213.

§ 191. Atque istæ super paroxysmo nostræ considerationes sunt. Quæ hoc dictant nobis: In paroxysmo illum optime curare Medicum, qui hoc unum curat, ut nihil curet. quoniam revera ibi *omnium optima sunt, quies & abstinentia.* Quæ cum Celso III. 2. p. m. 114. l. 20. commendasse, summi nobis consilii loco est.

§ 192. *Anemiam* porro sanguinis quod attinet,

quoniam & ipsa est ex eo genere, quæ συνεδρεύοντα appellat Galenus, & describit in com. ad Aph. 12. lib. 1. licet uno nobis verbo defungi: Nihil indicat. Ubi autem nulla indicatio, nulla ratio quidquam movendi est. Symptoma autem, ut symptoma, nihil indicare, in axiomatis medendi est. Tale autem esse, ostensum est supra, & liquet rem examinanti. Itaque verbum non amplius.

§ 193. Posteaquam igitur prætervecti Affectus symptomaticos sumus, forte & scopulos curationis: deinceps vela, atque utinam secundis ventis! dirigamus ad Morbos essentiales, sive ipsos illos, qui sunt, ut noster l. de Flat. 11. 19. loquitur, ἀρχὴ καὶ πηγὴ τῶν ἐν τῷ σώματι κακῶν· *principium & fons eorum, quæ sunt in corpore, malorum.* Malorum quidem, quæ SERENISSIMA PRINCEPS patitur, verum principium, Atonia ventriculi: verus fons, Congeries seri est.

§ 194. Videlicet, vasorum serosa plenitudo est, cujus è sinu, velut Æoli antro, procedit omnis ista, quam vidimus, ventorum tempestas. Quos quidem Natura suo igne suscitat, partim invitata à consuetudine, partim incitata à plenitudine. Quæ quia Naturam gravat, turbat. Gravat: quia βαρύτατόν ἐστι τῶν ὑγρῶν, ὁ ὕδρωψ· *gravissimus humorum est Serum.* Turbat autem: quia πόνον καὶ θέρμην παρέχει· *laborem sive dolorem & calorem excitat.* Unde mox febris.

§ 195. Ἀπὸ δὲ τοῦ ὕδρωπος οὐ γίνεται πυρετὸς ἰσχυρὸς κάρτα, οὐδὲ πολυχρόνιος. τῷ γὰρ πυρὶ, οὐκ ἀγαθὴ τροφὴ ὁ ὕδρωψ ἐστίν. *A sero autem non fit febris valida valde, neque longi temporis. Etenim igni haut bonum alimentum*

est serum. Præ quibus quid in rem præsentem dici possit, quod eam repræsentet efficacius, equidem non novimus. Sunt autem ex iv. de Morb. t.xxv.

§ 196. Non speramus (ut hæc cum venia interfemur) fore, ut vitio quis ducat nobis, quod toties ad Hippocratem provocemus. Quid enim, si Jurisconsulti propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis recipiunt & ideo credendum dicunt l. 6. D. de Statu hom. quod merito vocare ratio in dubium poterat: quanto magis standum nobis est auctoritate ejus, quem omnium bonorum in Arte auctorem fatemur cum Galeno l.de Venæs. adv. Erasistr. I. D?

§ 197. Porro, Vasorum hydrops idcirco Naturam potius eo, quo monetur facere mulieri secundum consuetudinem, tempore turbat, quia tum magis gravat. Gravat autem magis, quia per ipsum Sanguis ineptior est fermentationi. Absque qua si est, nulla menstruatio est. Natura interim, quo ne officio desit, usque eo intendit vires, quo opus est, ut una opera & aquas exigat & menstruum solvat. Sed de his satis in superioribus.

§ 198. Ut & de eo, quod hujus Vasorum hydropis principium & caussa antecedens sit Ventriculi atonia. Quæ ipsa tamen fovetur non parum à Sanguine seroso, hoc est, justo magis humido, justo minus calido.

§ 199. Atonia enim ventriculi talis ejus imbecillitas est, quæ & in paucitate caloris & in flacciditate corporis consistit. Per hanc stricte complectendis assumtis, per illam plene concoquendis non sufficit.

§ 200. Sic

§ 200. Sic & iſta πολυϋδρία ſive (liceat enim ſic nominare) Hydrops eſt redundantia ſeri ſanguinis. Quam propterea Cor admittit, quoniam ejus ignis non ſatis eſt, non dicam, ad emendandum primæ concoctionis vitium aptus: ſed ad ſpiſſandum Chili cremorem vegetus vel vaporandum ejus aquoſum validus.

§ 201. Atque hoc filo, tamquam Ariadnæo, ingrediamur in eum Labyrinthum, ubi neſcio quis infelix Dædalus incluſit SERENISSIMÆ PRINCIPIS Divam Sanitatem. Pro qua toto nos corde plura facimus vota, quam ei laudes cecinit Ariphron Sicyonius jucundiſſimo pæane & gratiis mellitiſſimo.

§ 202. Duo itaque ſe ad curandum offerunt Morbi, & ambo ita invicem implicati, ut initio ſtatim dubites, utri ſit primo manus adhibenda: Seroſitati ſanguinis, an Imbecillitati ventriculi. Sed hæc dubitatio, nebulæ inſtar matutinæ diſparebit orto Sole rationis, methodique luce aurea ſeſe inferente.

§ 203. Seroſitatis una eſt & ſimplex indicatio: Depletio ſeri, quod ſuperat. Ita loquimur, quia conſtat, non totum auferri, ſed tantum debere. Non totum: tam enim vitioſum eſt, & incommodum ſanitati, Sanguinem habere ſeri, vehiculi non ſatis, quam nimis. Sed tantum: ſive id, quod ſuperat, tantum.

§ 204. Deplendi materia autem unde petenda? unde, volo dicere, petenda eſt illa res, illud inſtrumentum, quo effectum dari hæc depletio poſſit? Hoc definiturus conſiderare debet: Qualis in cor-

pore materia sit Serum, sive objectum depletionis.

§ 205. De hoc receptum est, & recte, Maximam partem esse Aquosum liquorem: genitum ex quovis potu aut potulento: & ad hoc, ut serviat fluxilitati ac mobilitati conciliandis, primum Chilo chilique cremori, tum Chymo & adjunctis humoribus; tum & Sanguinis frænando æstui: iisque tandem officiis defunctum egeri, & potiorem partem per Cutis poros insensibiliter, insignem vero etiam per Urinas.

§ 206. Ubi jam & hoc observatum est, & observatur quotidie, & habemus exemplum in Serenissima Principe: Qui per cutem digerunt minus, mejere magis: & è contrario. Cui simile, & ob similem rationem est, quod notat Aph. iv. 83.

§ 207. Quo constituto, paret: Superantem seri materiam esse educendam, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ· *quo maxime vergit*, Aph. i. 21: hoc est, quo ire sua sponte seu Naturæ ductu solet. Ergo, in præsenti, Serositatis nimium debet vel per Habitum vel cum Urinis evacuari. Istud, quæ præstent διουρητικὰ Hippocrati: quæ illud, οὐρητικὰ dicuntur: ceu alibi notatum nobis.

§ 208. Heic jam iterum sese hoc quæstionis ingerit: Utra sint eligenda: Diuretica, sive sudorifica vulgo; an Uretica, sive quæ urinas ciunt? Ad naturam Serenissimæ Principis, & quæ in ipsa gerit Natura, animum si advortimus sedulo (quod certe nullus non fidelis Medicus, quique se ὑπηρέτην

τοῦ τε

τῆς τε φύσιος καὶ τῆς τέχνης, *ministrum cum Naturæ tum Artis* cum Hippocrate profitetur 1. Epid. 11.) Natura sibi Uretica subministranda, non Diuretica, plusquam luce meridiana clarius jubet, præcipit, mandat, imperat.

§ 209. Pro Ureticis sunt: [72] *Vrina libere fluit: quibusdam tamen, sed incertis intervallis, secundo vel tertio quandoque mense, adeo copiosam reddit urinam uno die, ut decuplo potum assumtum excedat.* Contra vero Sudorifica sunt: [77] *Sudat rarissime, etiam post medicamenta ad hoc assumta.*

§ 210. Persuademus nobis, injuriam nos facturos DD[nis] Archiatris, opere atque scientia illustrissimis, si dissimulemus, prorsus videri nobis, hac ipsa providentia esse ista ex assidua & officiosissima observatione adscripta. Voluere enim, quod & fecere egregie, instruere nos, & informare omni ad cognoscendum & curandum necessaria notitia: & hoc ipso monere, ut ne quidquam sine [84] *accuratissima* consideratione prætermittamus.

§ 211. Quando itaque constat, Ureticis sive per urinas esse seri, quod redundat, amovendum: proximum est, ut videamus, ex qua Medicina, seu officina medica, sint ea petenda ad usum: ex Diætetica videlicet, an Pharmaceutica: nam prostant in utraque. Hoc ut decernamus, duo iterum sunt expendenda ad trutinam rationis medicæ: hinc Utriusque materiæ natura: hinc Natura seu constitutio patientis.

§ 212. Hanc si primum consulimus (nam sic breviore veniemus ad intentionem) [6] Temperamentum

tum frigidum & ſiccum, [3] Habitus corporis tener, [4] Venæ anguſtæ, [66] Vita ſedentaria, [50] Intolerantia injuriarum aëris, [53] Cibi parſimonia, [56] Cereviſia hordeacea, [61] Vini quaſi abſtinentia, [7] Paſſiones melancholicæ, [14] Abortuum frequentia, tot ſunt teſtes locupletes & jurati, Serenissimam Principem penuria in præſens virium, calidi, ignis laborare, ſive ejus, quo & vita conſtat mortalibus, & anima utitur ad exſequendum omnia ſua munia. De quo merentur, ſi quid aliud, inſpici, quæ Hippocrates habet in I. de Diæt. XIII. 145. ſed apud ipſum.

§ 213. Jam vero, quid ubique locorum magis clamamus Medici, docti, indocti, quam Vires eſſe conſiderandas, & conſervandas, imo confirmandas omni modo, loco, tempore?

§ 214. Quin ipſe Hippocrates nos hortatur ἐνθυμέεσθαι τοῦ σώματος τὴν δύναμιν, *ad animum vocare id, quod corporis vis præſtat, præſtareve laborat.* Etenim hoc Medicus, ſi non noverit, neque τὰς δυνάμιας ἑκάστων ἀφαιρέειν καὶ προστιθέναι, *vires ſingulorum*, quæ valetudinis cauſſa vel exhiberi vel adhiberi debent, *minuere vel augere* noverit, ut eſt II. de Diæt. XVII. 344.

§ 215. Conſervandæ autem extra controverſiam ſunt, ubi *ex imbecillitate ſummum periculum eſt*, ut Celſus ait III. 4. p.m. 118. l. 26. At ibi procul dubio eſt, ubi *propter infirmitatem neceſſitas urget*: III. 5. p. 127. l. 9. At heic urgere, quis dubitas, tot & tantis convictus teſtibus? An vero nulla infirmitas eſt, niſi extrema? ſeu quando velut abjectis clypeis æger proſtratus

tus decumbit, & lecto affixus exſpectat, annon veniat ex Prophetis, qui dicat, Diſpone domui tuæ: II. Reg. xx. I. Ieſ. xxxviii. I.

§ 216. Confirmandas autem vires eſſe in morbis longis, quique gravibus per vices acceſſionibus impetunt, ratio dictat. Dictavit certe Cornelio noſtro hoc: *Id agendum, ut, quod diu ſuſtinendum eſt, corpus facile ſuſtineat*: III. 15. p. 145. l. 20. Etiam hoc: *In longis æger alendus maturius, ut ſuſtinere ſpatium affecturi mali queat*: III. 2. p. 114. l. 4. Eadem ſunt & noviſſima verba Aph. I. 10.

§ 217. De infirmitatis autem modo fortaſſe etiam certiores erunt Nobiliſſimi DD^ni^ Archiatri, ſiquidem, quod per omnia noſtra officia rogamus obnixe, obſervare dignentur, tam ſub paroxyſmo, quam ſub paroxyſmum, num in SERENISSIMA PRINCIPE eveniat, quod idem Celſus annotat III. 6. p. 129. l. 7: *Et plerumque ſatis ſano corpore, ſi ſtomachus infirmus eſt, nonnumquam etiam incipiente febre*, imo & quovis alio graviore paroxyſmo, Venæ ſive arteriarum pulſus *ſubeunt* obſcurique fiunt, *& quieſcunt* ac vicem unam, quin & alteram interdum intermittunt, *ut imbecillus is videri poſſit, cui facile laturo gravis inſtat acceſſio*. Scilicet, hoc eo monemus, ut ne etiam de majore animum imbecillitate cogitatio ſubeat, quam revera ſit, atque ea dux in Scillam ſit cupientibus vitare Charybdin.

§ 218. His præmunitis accedamus ad Materiam eorum, quæ urinis promovendis reperiuntur tam in Cella, quam in Taberna medica.

§ 219. Medicamenta quod attinet, cujus ea debeant temperamenti esse, non convenit discipulis cum suo Præceptore. Præceptor ait l. de Affect. t. 1: τὰ διαχωρητικὰ, ἔγχυλά ἐστι, καὶ φύσει θερμά. τὰ δὲ οὐρητικὰ, ξηρὰ καὶ ψυχρά. *Diachoretica, succiplena sunt, & naturâ calida. Vretica vero, sicca & frigida.*

§ 220. Discipuli requirunt urinis ciendis, quæ sunt sicca quidem, sed calida & acriora & vehementer extenuantia. Sed non cogitant, cum opus vaporato est, tum conferre, quæ pituitosa & aquosa similiaque incîdant, attenuent, rarefaciant, hoc est, in subtiles particulas, & minutissimos globulos, & transire per inconspicua arteriarum cutanearum ostiola aptos, dividant & distrahant & digerant. Contra, cum mictu opus est, vaporosa sanguinis esse recolligenda & cogenda in fluorem. Nisi enim talia, saccari per renes & destillare in vesicam haut quita sunt.

§ 221. Si cui prior sententia tamen, non quia antiquior, sed receptior, placet, cum hoc jam audemus pedem struere, & pleno ore dicere, Non convenire SERENISSIMÆ PRINCIPI: nisi admodum exigua quantitate, & in cibis, & ex eorum genere, quæ Celsus enumerat lib. II. 31: & inter ea, quæ sunt tum condiendis cibis gratiora, tum & fovendis spiritibus potentiora. Rationes in præmissis propositæ evidentes sunt.

§ 222. Si cui posterior sententia vero, non quia antiquior, sed rationabilior, placet, iterum dicimus, Non convenire SERENISSIMÆ PRINCIPI. Ut alia, etsi forte non minoris momenti, non urgeamus; contradi-

tradicit, & aperte, [6] Temperamentum. nam hoc frigidum & ſiccum eſt.

§ 223. Quando igitur non ſatis arridet Pharmaceutica merces, placetne pergamus ad Diætetices magiſtrum? Si placet. Heus, heus, Promiconde, ubi es? Quid placet Veſtris Excellentiis? Nihilne in penu habes, quod SERENISSIMÆ PRINCIPI, cum magna Calidi nativi infirmitate & non exigua Sanguinis ſeroſitate, ſimul & Ventriculi (ſt! D. Collega, noli, non eſt hujus loci aut temporis. Eja! cur non addam?) debilitate luctanti ſit & gratum ſumtu & validum effectu contra tot inſimul mala?

§ 224. Cornucopiæ, mei Domini: quia enim hoc mei eſt muneris, do gnaviter operam, ut ne umquam vel magnatium aliquis vel infimatium ad me fruſtra ventitet. Sed, mei Domini, placebit Veſtris Excellentiis tantiſper concedere in hanc aulæam, & conſidere ac requieſcere, dum propero promtum. Quin tu feſtines: neque enim neſcis, quanti nobis ſit tempus, & jam exſpectamur. Novi, & adero è veſtigio.

§ 225. Quid, ſodes D. Collega, credis allaturum? Forte aliquod Vinum. nam idiotis in labris natat illud Jud. IX. 13: *vinum exhilarat Deum & homines.* & illud Pſalm. CIV. 15: *vinum exhilarat cor hominis.* & illud 1. ad Timoth. V. 23: *ſume aliquid vini propter ventriculum & multiplicem infirmitatem.* Vinum? tam abſtemiæ?

§ 226. Jam adſum, mei Domini. Placetne veſtris Excellentiis hoc γεῦμα probare? Εὑρήκαμεν, εὑρήκαμεν,

 D. Col-

D. Collega: deguſta ſis. Placent color, odor, ſapor. ſed in via aliquid. Aſt tu cujum, Promiconde, genus? Factitii. Quin ipſum dicis: nam ſcis nos feſtinare. Marathrites: ſed Fœniculatum nos vaſis inſcribimus, propter pueros.

§ 227. Quod vinum? Baccharacenſe hornum maturrimum. Quomodo factum? Ex præſcripto Caſſiani Baſſi Γεοπονικῶν VIII. I. Oſtende librum: *οἴνων ὑγιεινῶν σκευασία. Οἴνων ὑγιεινῶν ἄρτυσις καὶ σκευασία, διάφορα πάθη ἰωμένη, ἣν πολλοὶ τῶν ἀρχαίων διὰ πείρας ἐπῄνεσαν. ἔστι δὲ ἡ σκευασία αὐτῶν οὐδὲν φαρμακῶδες ἔχουσα, ἀλλὰ ἁπλουστάτη· οἷον διὰ ῥόδου, ἢ ἀνήθου, ἢ ἀψινθίου, ἢ γλήχωνος, καὶ τῶν τοιούτων. δεῖ δὲ ἕκαστον τῶν εἰρημένων κόπτειν, καὶ ἐνδεσμεῖν πανίῳ, καὶ ἐμβάλλειν τῷ οἴνῳ.*

§ 228. Quin tu iſta mihi Latine potius: neque enim ignoras, quam mihi græca excolere totos dies προσδόκη non licuerit. Repeto ergo: *Vinorum ſalubrium confectio. Vinorum ſalubrium conditura & confectio diverſa vitia ſanat, quam multi veterum per experientiam collaudant. Eſt autem compoſitio ipſorum ſimpliciſſima, nihil medicamentarium habens; veluti ex roſis, aut anetho, abſinthio, pulegio, & hujuſmodi. Oportet autem unamquamque relatarum ſpecierum contundere, & panniculo illigare, in vinumque immittere.*

§ 229. Satis, D. Collega: eamus. Salve, Promiconde: deliberabimus, & mittemus aliquem cum mandato. Exſpectabo quid velitis jubeatis, mei honoratiſſimi Domini; en ecce obedientiſſimum ſervum veſtrum, & ſalvete.

§ 230. Videbaris, D. Collega, dubii aliquid modo preme-

premere de Vino, quamvis laudares. Ita est. Placet ergo promere; licet enim nunc inter nos & libere conferre & sine interfatione consulere.

§231. Non ausim Vinum exhibere. Quid ni? Rogas? non succurrit, quod Vinum cum SERENISSIMA PRINCEPS bibit, 6° *statim caput dolere sentit?* Memineram, & hoc exspectabam. Noli metuere: nihil est periculi. Imo hunc si scrupulum exemeris, jam tunc fatebor, *ὅτι αὕτη ἡ ἰητρικὴ μάλιστα κατὰ φύσιν ἐστίν· quod hæc medicina maxime secundum naturam sit*: l. de Flat. II. 21. Id equidem, nisi alte insideat, haut erit difficile, si forte molestum.

§232. Primo quidem non ignoras, quale SERENISSIMA PRINCEPS sumat. De Marathrite autem testatur Cassianus cap. 9: quod *Μαραθρίτης οἶνος ὄρεξιν κινεῖ, στόμαχον ῥώννυσι, διουρητικός ἐστι· Vinum è fœniculo appetitum excitat, stomachum roborat, & urinam prolectat.*

§233. Quod, cum memoriam recolo, à Dioscoride est. Nam hunc memini de Selenite scribere in v. de Mat. med. 74: *ὅτι ποιεῖ ὄρεξιν, καὶ στομαχικοῖς ἁρμόζει, καὶ δυσουροῦσιν· ἔστι καὶ εὔπνους· quod Cibi appetitum facit, & stomachicis ac difficulter mejentibus auxiliatur: atque etiam halitum commendat*: & statim proximo capite, *ad eadem efficax* parari etiam è Fœniculo. Cujus etiam succo Hippocrates tribuit vim urinæ movendæ, II. de Diæt. XIV. 294.

§234. Vinum ipsum si æstimamus, album est, hornum est, odoratum est. Tale vero non potest non convenire SERENISSIMÆ PRINCIPI, si audimus Hippocratem nostrum. Ita enim loquitur jam lau-

dato libro t. XIII. 229: οἱ δὲ λευκοὶ καὶ νέοι μᾶλλον τῶν οἴνων διαχωρέουσι, διότι ἐγγυτέρω τοῦ γλυκέος εἰσὶ, καὶ πρόφιμοι. καὶ οἱ ὄζοντες τῶν ἀνόσμων τῆς αὐτῆς ἡλικίης, διότι ἐκπεπλέστεροί εἰσι· καὶ οἱ παχέες τῶν λεπτῶν. *Alba autem & nova vina præ omnibus magis ſecedunt, quod propiora muſto ſunt, atque etiam alunt.* Quas dotes *itidem odorata præ inodoris ejuſdem ætatis* habent, *quoniam magis concocta* [an, *facilioris concoctionis ?* utramvis enim interpretationem & verbum & rei natura patiuntur.] *ſunt. Tum & craſſa præ tenuibus.*

§ 235. Quibus ſi addimus, nihilæque Spiritibus vitalibus facere reficiendis (ſolo enim odoratu deficientes revocamus) quid amplius volumus?

§ 236. Urit etiamnum ſcrupulus iſte. Profecto non credebam hærere. Ergo iterum audi Hippocratem π. παθῶν textu, apud Cornarium aut Marinellum, ult. in fine: οἶνος καὶ μέλι κάλλιστα κέκριται ἐν ἀνθρώποισιν, ἢν πρὸς φύσιν καὶ ὑγιαίνουσι καὶ ἀσθενέουσι σὺν καιρῷ καὶ μετριότητι προσφέροιντο. καὶ ἀγαθὰ μὲν αὐτὰ ἐφ' ἑωυτῶν. ἀγαθὰ δὲ καὶ συμμισγόμενα, τά τε ἄλλα, καὶ ὅσα γε καὶ ἀξίην λόγου ὠφελείην παρέχει. ὅσα δὲ ὑγιαίνουσι ξύμφορα, ταῦτα καὶ νοσέουσι προσφερόμενα, ἰσχυρότερά ἐστι. καὶ δι' αὐτῶν ἀφαιρέοντα τὴν ἀκμὴν διδόναι, ἢ οὐ φέρει αὐτὰ τὸ σῶμα· ἄλλως τε μᾶλλον βλάπτει, ἢ ὠφελέει.

§ 237. Quæ cum latinis ſic commutabamus: *Vinum & mel optima habita ſunt hominibus, ſiquidem convenienter naturæ & ſanis & infirmis opportune atque modice offerantur. Et ipſa quidem ex ſe ipſis ſunt bona. Sed & bona ſunt mixta cum aliis, tum quibuſcumque, tum imprimis quæ ſingularem præſtare utilitatem apta*

nata

nata sunt. Quæ autem cunque sanis conducunt, eadem etiam efficaciora sunt oblata ægrotantibus. Sed detrahere de potentia oportet, atque ita dare, nisi ea ferat corpus integra: alioqui magis obsunt, aut prosunt.

§ 238. Summa est:

Lege, modo, ratione valent data vina: nocetque
Tempore non apto quæ medicina datur.

Jam hoc artis est, considerare & facere, ὧν δεῖ· καὶ ὡς δεῖ· καὶ οἷα· καὶ ὅπη· καὶ ὅτε· καὶ ὅσον δεῖ. *quorum oportet, & ut oportet, & qualia, & quomodo, & quando, & quantum oportet.* VI. Epid. II. 25. quid videtur?

§ 239. Nondum satisfecisti: Ergone extorquebis, quod premere erat satius? Persuasio facit. Nam is mos melancholicorum: omnia tuta timere. At hæccine persuasio est, quod sensu sentias? Non nego, id doloris SERENISSIMAM PRINCIPEM in se experiri: sed, à Vino esse.

§ 240. Nisi forte idcirco sit, quod nimis *parum* sumit. Namque, quod non est satis, velut hibernus Sol sudo die, tollere vapores potest, digerere non potest. Hoc ipsum tamen est incertum. Numquamne, si siccum prandium est, idem obtingit SERENISSIMÆ PRINCIPI? Satin' certum est, non esse ex aliqua prophasi non animadversa?

§ 241. Sed esto: sit à Vino. Desuetudo facit. Namque bibere non solitis, si vel modicum gustent, utcumque feriuntur. Talibus quippe Vinum, non alimentum, sed medicina est. Sunt, οἷσιν οἶνος τροφὴ, καὶ οἷσιν οὐ τροφή· *quibus vinum alimentum est, & quibus non est*: l. de Alim. VIII. 18.

§ 242. Ali-

§ 242. Alimentum est senibus: ætate, aut constitutione, aut morbo. Non est adolescentibus & his, quibus modus caloris esse humidior & calidus ac validus debet: ut neque iis, quibus siccus est præter naturam vel ætatem: ut neque insuetis sumere. His revera medicamentum est. Commovet enim. Atque hoc est medicamenti.

§ 243. Hippocrates l. de Loc. in hom. LIV. *πάντα φάρμακά εἰσι μεταχινέοντα τὸ παρεόν. πάντα δὲ τὰ ἰσχυρότερα μεταχινέουσιν.* *Medicamenta sunt quæcumque id, quod præsens est, dimovent*: quasi de suo statu in alium. *Ita vero movent quæcumque validiora* sunt, præut superari ab humana natura possint. Ita enim ipsus se explicat l. de Vet. med. XXIV. 76. Quantas turbas ciet Tabacum, quibus primum ducitur in usum? At quam, etiam brevi, fit familiaris Venenata herba cui non naturæ?

§ 244. Ergone Vinum, vinum, tam nobile, tam jucundum, tam vitale medicamentum rejectabimus, quia forte ad exiguum temporis dierum aliquo modo afficit? Quin hoc sit argumento, medicinam esse. Et qualis? Qua aliud in rerum natura non est reperire generosius in conservanda & confirmanda ea Virtute corporis, quæ *πάντα αὔξει, καὶ τρέφει, καὶ βλαστάνει*: *omnia auget, & nutrit, & progignit*: l. de Alim. XIII. 34.

§ 245. Unde & certa spes fore, ut, quidquid est ejus molestiæ, quod SERENISSIMA PRINCEPS percipit à Vini usu, dispereat cum usu. Quemadmodum coram Sole oriente non consistit nebula roris æstivi:

ita

ita cispelletur coram Calido aucto iste inofficiosus profecto flatus: si modo Flatus est, qui non didicit tantum Caput reverentius habere. Quemadmodum vero, istâ discussâ & consumta nebula, serenior illucet dies: sic erit, ut oriatur SERENISSIMÆ PRINCIPI velut novum Sanitatis jubar, atque illucescat ille dies, quo nolit amplius egere medico.

§ 246. *Millia hominum sine medico degunt, quamquam non sine medicina*, scribit Plinius procem. lib. XXIX. Principes sæpe miror, qui, cum in plurimis sibi imitandum Tiberium, non etiam in valetudinis cura proponunt. De eo Tacitus Annal. VI. 114. L. *solitus eludere medicorum artes, atque eos, qui post tricesimum annum ad internoscenda corpori suo utilia vel noxia, alieni consilii indigerent.* Meminit etiam Suetonius cap. 68.

§ 247. Plutarchus insuper tanti habuit, ut, quamvis notet, tamen inseruerit Præceptis de Valetudine p. m. 136. E. quæ utinam SERENISSIMA PRINCEPS legat & intelligat! Profecto sit ita, Principum eam esse sortem, ut præcipua rerum necesse habeant ad famam dirigere: tamen & hoc debebant è suo Consiliario scire, *Mortalibus in eo stare consilia, quid* SIBI *conducere putent:* Annal. IV. 107.

§ 248. Ceterum ista, quum forte licentius videbar facere, spes illis nititur potestatium naturalium, quibus præditum audivimus Marathrites, eo è vino confectum, quod & egregie convenire intelleximus. Rationes, si contrahas, ad duas veniunt. Marathrites idcirco SERENISSIMÆ PRINCIPI suademus,

quoniam aptum natum factumque est, hinc Seri copiam mictu minuere, hinc Spiritus inopiam accessu augere.

§ 249. Verumenimvero, hactenus non eo contendimus, ut in illo uno ostendamus spes omnes esse salutis. Restat enim ipsa adhuc radix Malorum, sive utriusque jam toties nominati morbi, & quæ nascuntur ab illis. Itaque etiam ad eam, propitio Numine, excisum pertendamus.

§ 250. Atoniam ventriculi supra dicebamus consistere in duplici defectu: Calidi, sive ignis necessarii ad chilificandum; & Toni, sive roboris necessarii ad amplexandum id, quod est alendi caussa assumtum. Prior ab eo defectus est, quod neque satis ignis neque satis validus influat à Corde: qui etiam apud Galenum fons est ejus caloris, quæ *caussa est omnium in corpore actionum*, in VI.Epid.V.5.D.F.& IV. 14.B. & in specie *concoctionis alimenti*, Fac. nat. II. 9.

§ 251. Heic ergo indicatur Medico, satagendum esse, ut Ignis iste succeffione commoda fiat luculentior, alacrior, vitalior. Quod tum fiet, quum ligna super foco large reponet. Sed quæ? Modo dicemus, ubi & posterioris defectus Indicationem proposuerimus.

§ 252. Defectum hunc flacciditatem nominamus medici. Est autem Tunicarum ventriculi laxitas ab nimia humiditate. Hæc est à Serositate sanguinis. De qua tam multis diximus, ut sane non semel fuerim in metu, objectum iri, si non illud, Apud Hannibalem; certe illud, Manum nescit. Sed dixi, & habeo

habeo etiam plures, accurationis caussas. Humiditas ista indicat resiccationem debitam: Laxitas autem, adstrictionem moderatam. Ut jam cupientem invenire Auxilium ventriculo languido, oporteat intueri in hosce Scopos: recalefactionem, resiccationem, restrictionem.

§ 253. Ad quæ idoneam paratum Materiam eunti sese quædam difficultas, non ex Historia proposita, sed Observatione quotidiana objicit. Nempe docet hæc, ubi infirmior Ventriculus officio non facit satis, colligi plerumque pituitosam cruditatem; neque certe contemnendam, cum adest.

§ 254. Fatemur, de ea nihil nobis, nisi tenue quid ex relatione liquere: quin potius invenire in frugalitate victus argumentum credendi, Nullam subesse. At quoniam mihi tam per multiplicem experientiam compertum, quam per rationem non unam certum est, eam Cruditatem raro non subesse languenti stomacho, & interdum etiam post purgationes vel institutas, si non subito, certe non ita longo post subnasci; vel etiam repetitas antegenitam superesse: idcirco cum omni submissione rogo Excellentissimos DD^nos Archiatros in eam inquirere. Nam si est, & ante non auferatur, frustra omnis curatio erit.

§ 255. Pone: esse. Quia redire ad frugem non potest, quia concoqui non potest, quia toto genere præter naturam est, quia præsens male coquendi caussa est: omnino evocanda est, & primo quoque die curationis. Quomodo? Heic hæreo, mecum-

que, fateor, vehementer & ad sudorem usque luctor, utrumne ex Vulgari debeam, an Veterum praxi respondere. Si ex ista velim, certe obsequio, non tam amicos mihi, quam huic favorem consilio conciliabo forte majorem. Sin ex illa velim, non possum effugere, quin veritatem, quamvis ex sana ratione, ex innumeris experimentis, ex sincera conscientia profitenti sese objiciant responsationes multæ, dubitationes splendidæ, cavillationes odiosæ, detrectationes invidiosæ, & quid non adversitatum?

§ 256. Hodie enim (animi quod exprimit sinu summus dolor) res medicinæ eum venere in locum, ut hæc demum extrema hæresis sit, Hippocraticam, illam genuinam omnibusque absolutam numeris & inconcussis suffultam rationibus, Medicinam profiteri & facere. Atque utinam hoc seculum non usque adeo abhorreret à Vomitivis, medice, hoc est, ratione & experientia datis! Auderem me sponsorem, imo vadem, imo obsidem dare pro multorum salute. Certe plures non ita traherentur à suis vel Morbis vel Medicis. absit invidia dicto!

§ 257. De cujus subsidii deliberatione, quia res incerta est, supersedeo ulterius dicere: cum hac sponsione tamen, si istud Indicans adest, & de Indicato solicitudo, quoscumque etiam, habet, me paratum fore, ad probandum SERENISSIMÆ PRINCIPI & Excellentissimis DD^nis Archiatris ejus, meam obedientiam, atque diligentiam, atque studium, quo me teneri sentio ad omne id, quod spectat gloriam Dei, & prosperitatem Ecclesiæ, cujus SERENISSI-

MAM

MAM PRINCIPEM novimus & colimus ceu præcipuam firmamque columnam; & communem hominum salutem.

§ 258. Superata difficultate, quam gaudebo si temere movi; dispiciamus nunc, Cui mandare confectionem medicinæ oporteat, qua opus est ad præstandam opem, quam trinæ Indicationes istæ, pridie ex ipsa Affectus affectæque partis natura erutæ, requirunt.

§ 259. Quid videtur ergo, cui, heic quod recte curatum volumus, mandatum imus? Archimagiro, an Medicamentario aulico? Me, omnino volo utrumque amicum. Et quare non admittamus utrumque in partem laudis, quam, benedicente Summo animarum corporumque Medico, speramus ex valetudine SERENISSIMÆ PRINCIPI restituta? præsertim, cum neuter unus sufficere necessaria queat omnia nobis? Eadem & mihi mens.

§ 260. Sed solent fere ingratiora esse, saltem haberi, quæ Médicamentarius parat. Recte dicis, haberi: nam quod eorum, quibus fere demimus aliquam materiam, pleraque sint fastidiosa, & horridula, & in movendo ἐργώδεα, sive laborum & dolorum & fatigationum, tot molestiarum plena; idcirco est, quod ejusdem farinæ credantur, quibus adjicimus corpori.

§ 261. Accedit, quod hoc genus infrequentius utimur, ideoque minus sunt in vulgo cognita. Priora vero summâ Creator providentiâ fecit talia. Scilicet, ut experti eorum ingratitudinem homines

discant abstinere à cupiditatum illecebris, nec niti in vetitum semper, & velle negata. Ut itaque etiam Medicamentarii & honori & commodis consulamus, quid videtur de alterutra, quas ecce! formula.

§262. Morselli.

℞. Conf. Rosar. rub. modice ab olei Sulph. q.s. acidæ,
Menthæ crispæ,
Melissæ, ana Unc. semis.
Spec. recent. Diarrhodon Abbat. Drachm. duas.
Cordialium temperat.
Diamargariton frigid.
è Gemmis frig. ana Scrup. duos.
Conf. Alchermes sine moscho,
Troch. è Berberi, ana Drachm. unam.
Trageæ è Cinamomo Unc. tres.
Magist. veri Margarit. oriental.
Corallor. rubr. ana Scrup. unum.
Salis prunellæ albiss. Drach. semis.
Olei still. Rosarum gutt. sex.
Sacchari albissimi, in Aqua Cordiali temperata soluti, Unc. octo.
M. f. s. a. Morselli pondere duarum drachmarum. Deaurentur & dentur in vitro probe tecto.

§263. Tragea è Cinnamomo.

℞. Sacchari canti albi & subtiliss. pulverati Unc. octo.
Salis è Cinnamomo per propriam aquam extracti & candidiss. Drach. duas.
Olei stillat. è Cinnamono Scrup. duos & semis.
M. f. Tragea. Servetur reliquum in vitreo bene aperto, ad sequentem, si opus usum.

§264. Con-

§264. CONDITUM.

℞.Rad. cond. Cichorei, Unc. unam.
Scorzoneræ, Unc. ſemis.
Cort. Arantior. cond. Drach. duas.
Conſ. Abſinthii Romani.
Menthæ criſpæ,
Meliſſæ, ana Unc. ſemis.
Roſar. rubr. acidæ, Drach. ſex.
Carnis Cydoneor. cond.
Conſ. Hyacinthorum, an. Drach. duas.
Alchermes ſine moſcho Drach. unam.
Magiſt. veri Margarit. trient.
Corallor. rubr. ana Scrup. ſemis.
Sir. è Cinamomo q. ſ.
M. f. Conditum.

§265. Quei placent? Non poſſunt non ulli placere. Nam & omnibus ſatisfaciunt Indicationibus, & nihil habent, quod vel delicatiſſimum os vel ſtomachus reſpuere faſtidioſiſſimus jure queat. Atque utinam ſic placeant SERENISSIMÆ PRINCIPI!

§266. Sed utendi quis modus? Ego quidem alias præſcripſi Illuſtribus perſonis, & (Deo ſint gratiæ & laudes, quas dicere corde poſſum, maximæ) ſemper ſucceſſu proſpero. Rogabam autem ſumere mane jejunos, deinde pranſos, denique cœnatos: & quidem alterutrius, Conditi aut Morſellorum, duas præterpropter drachmas, iiſque ſumtis Stomachum, ut mos eſt loqui, claudere, neque quidquam vel potus ſuperbibere. inprimis vero, continuare in uſu. Eſt enim hæc ex eo genere medicinæ, de quibus

Cæl.

Cæl. Aurelianus Tardar. IV. 3: *Nec recte culpanda virtus est, quæ una vice non dederit sanitatem, cum plenam fecerit futuræ perfectionis fidem, perseverationem sui persuadens.*

§ 267. Verumenimvero, quamquam suis abunde partibus defungi quodvis eorum queat, quæ apud Medicamentarium præscripsimus: attamen optatum ad finem se solis nequeunt perducere. Quin frustra hactenus sumus, si non etiam Archimagiro præcepta dentur de cibo & potu.

§ 268. In Cibis attendi ad materiam pariter & formam debet. Materia sit omnis res stomacho aptissima. Aptissima autem est, quæ præter multum & facile alendi facultatem, etiam simul idonea est præstando ea, quæ à languente stomacho requiri monstrabamus. De qua amplius apud Practicos exercitatissimos dicere, esset Noctuas Athenas.

§ 269. Putamus tamen non prætermittenda, quæ huc egregie faciunt, & leguntur l. de Affect. t. XLIV: τὰ σιτία καὶ τὰ ὄψα σκευάζειν καὶ διδόναι τοῖσιν ἀσθενέουσιν, ὑφ' ὧν μήτε φῦσα ἔσται, μήτε ὀξυρεγμίη, μήτε στρόφος, μήτε λίην διαχωρέει, μήτε λίην ξηραίνεται. *Cibos atque obsonia parare & dare infirmis oportet ejuscemodi, à quibus neque flatus fiat, neque acidus ructus, neque tormen, neque valde secedat, neque valde siccetur.*

§ 270. Formam quod attinet, existimamus heic Cibum optimum cibum simplicissimum esse. Simplicissimum vero, qui & minime in eadem mensa varius est, & Naturæ hominum convenientissimus. Convenire autem maxime, quem Natura paravit.

Quam

Quam certum eſt, omne genus medicinarum etiam alimentis inſeruiſſe. Quod & ipſum ab Hippocrate notatum eſt loco, quem modo indicavimus. ἔχει γὰρ ἕκαστα τῶν ἐδεσμάτων, διότι ὠφελέει καὶ βλάπτει· *Habet unaquæque eſca, quo proſit vel obſit.*

§ 271. Naturales autem dotes alimentorum ſi quis incruſtare neſcio quibus gulæ irritamentis, ſi adulterare excogitatis operoſe aromatum mixturis, aut aliter fucare prætextu ſanitatis velit, næ ille ignorare videtur id, quod ex vero Hippocrates l. de Vet. med. XXIV. 76: τὸ κρέσσον τῆς φύσιος τῆς ἀνθρωπίνης, οὐ μὴ ἠδύνατο κρατέειν, τοῦτο βλάπτει τε καὶ ὠφελέειν δεῖ. ἰσχυρότατον δέ ἐστι τοῦ μὲν γλυκέος τὸ γλυκύτατον, τοῦ δὲ ὀξέος τὸ ὀξύτατον· ἑκάστου δὲ πάντων τῶν ἐόντων ἡ ἀκμή· *Quod eſt potentius, prœut à natura humana quitum ſit ſuperari, id lædit & vitare oportet. Validiſſimum vero inter dulcia dulciſſimum, acida acidiſſimum eſt: ſic & quod unoquoque in genere ſummum eſt.*

§ 272. Pars altera formæ à Coctura eſt. De hac iterum ſuggero ex Hippocratis l. de Alim. X. 23: Σιτίον νέοισιν ἀκροσαπές· γέρουσι δὲ ἐς τέλος μεταβεβλημένον· ἀκμάζουσιν ἀμετάβλητον· *Cibus ſit junioribus quaſi coctus: Senibus perfecte mitigatus: Vigentibus inalteratus.*

§ 273. Cujus præcepti ratio conſtare poteſt ex Aph. I. 14. Quibus & ſtomachus & calor ſunt infirmi, ſenili conſtitutione eſſe, jamante diximus. Neque enim refert, ætate quis ſenex ſit, an morbo videatur. Circa hanc rem cura interim eſſe debet, ut ne coquendo alebris ciborum ſuccus amittatur.

§ 274. Quod ad potum, videndum, annon ex re

Serenissimæ Principis sit futurum, si Bira etiam Tritici aliquantum habeat. Sunt enim πυροὶ, ἰσχυρότεροι κριθῶν, καὶ τροφιμώτεροι: l. II. de Diæt. VII. 76. Quod [57] *claram* bibat, laudandum sane. Ut &, quod [59] *lupulatam*, sive cum Salictario incoctam lupo.

§ 275. De qualitate satis. Ad quantitatem. De hac historia: [53] *Cibos fere semper parce jam assumit & cum delectu.* Hoc institutum nemo bonus non laudet. Neque enim aliud est ad sanitatem commodius. Hippocrates l. de Affect. XLIV: ἐς ὑγείην ἄριστα, ὅσα ὀλίγιστα ἐσιόντα, αὐτάρκεά ἐστι, καὶ λιμοῦ καὶ δίψης ἄκος ἐστί· *Ad sanitatem optima, quæ parcissime sumta sufficiunt, ut sint famis & sitis remedium.*

§ 276. Hoc respicit ad id, quod dixit l. de Flat. II. 24. Dicit ad sanitatem: quia dixerat l. de Alim. VIII. 19: τρέφεται τὰ μὲν ἐς αὔξησιν, καὶ ἐς τὸ εἶναι· τὰ δὲ ἐς τὸ εἶναι μόνον, οἷον γέροντες· τὰ δὲ πρὸς τούτων καὶ ἐς ῥώμην. *Nutriuntur alii ut crescant & sint: alii tantum ut sint, sicut senes: alii denique propter utrumque & robur simul.*

§ 277. Videlicet omnis nutrimenti appositio est ἐς τὴν αὔξησιν, καὶ ἐς τὴν ἰσχὺν, καὶ ἐς τὴν ὑγείην· *ad augmentum, vel ad robur, vel ad sanitatem*: l. de Affect. t. LII. Itaque si Serenissima Princeps tantum sumit cibi, quantum conducit sanitati, nec amplius; procul dubio videri debet & recte facere & ex consilio.

§ 278. Cæterum hoc nobis cum bona venia liceat seu consilium seu institutum vocare ad examen, & producere in medium cogitationes, quas pro Serenissimæ Principis valetudine lubentes atque ex officio suscepimus. Principio ergo didicimus à Præceptore

ceptore nostro: quod sit μέγα τὸ ποσὸν ἀτρεκέως ἐς δύναμιν ξυναρμοσθέν: *magnum quid Quantitas* EXACTE *ad vires accommodata*: l. de Alim. IX. 19.

§ 279. Quod definire, quia vix est humanæ solertiæ, idcirco Præceptor præcipit Præceptionum XI. 134: ξυνεσταλμένης διαίτης μὴ μακρὴν ἐγχρονίζειν· *Adstrictæ diætæ ne diu insistas.* Cur non? Quoniam τὸ κάμνοντα χρονίην ἐπιθυμίην αὔξησι· *ægrotum longa* (hoc est, perniciosa, ut Virgilio Æneid. I. 753.) *concupiscentia accendit.* Namque

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

§ 280. Et propter hanc etiam caussam dixit Aph. I. 5: *In tenui victu delinquunt ægri: & ob id magis læduntur. Quicumque enim error committitur, major in tenui fit, quam in paulo pleniore victu. Propterea etiam Sanis periculosus est valde tenuis, & status ac exquisitus victus: quoniam errores gravius ferunt. Hac igitur de caussa tenuis & exquisitus victus eo, qui sit paulo plenior, maxima ex parte periculosior.*

§ 281. Sed potior, quare lædantur, ratio est, quam Theophilus dat in com. ὅτι ἀπολιγωρέουσιν ἐκ τῆς ἀσιτίας· *quia deficiunt ex inedia.* Tum quia, si occulte peccent, τῷ ξενισμῷ τῆς τοιαύτης τροφῆς ἡ φύσις παρέπεται· *novitate talis cibi* (quem scilicet cupiditas persuadet) *natura turbatur.*

§ 282. Sed esto: nihil sit ab his periculi in SERENISSIMA PRINCIPE, quæ cupiditatibus discunt, quam populo, prius imperare; &, quod licet, velle; non, quod libet. Tamen isti præcisæ diætæ non debet adstringi. Non, quia miserrimum sit Principi,

 se in

se in servitutem dare medico. Hoc enim videri necessitatis potest, & à vi majore. Verum, quoniam ea est Serenissima Princeps ætate, qua necdum credimus posuisse spem faciendi suum & Dominum & populum multa prole beatum.

§ 283. Ætatis quippe [z] *annum primum & tricesimum agit.* Annon hæc est illa ἀκμὴ ἡλικίης, ille vigor & pars optima vitæ, quam Hippocrates merito ait πάντα ἔχειν χαρίεντα, *omnia habere gratiosa?* Præcept. XI. 140. Huic certe, si aliquid ætati, concedendum est. Ubi vero id præcipit Dictator? Ubi considerandum monet, semel an bis, plura an pauciora sint offerenda: Aph. I. 17. Ubi, quid est διδόναι *concedere*, si non est, bis & plura potius, quam semel aut pauciora?

§ 284. Hippocrates l. de Aëre, aq. & loc. XLIV. 141, Scythicam gentem minus dicit fœcundam esse, propterea quod degant in frigidis & humidis locis. Quali cum Serenissimæ Principi sit corporis constitutio, videtur suæ naturæ debere, quod [14] *sex abortibus afflicta sit.*

§ 285. De qua re nunc non contendemus. Quamquam ita si semper habita fuit, ut nunc habetur, facile πρόφασιν & caussam inveniremus ex nobili decisione, qua Celsus quæstionem, An gravidæ mittendus sanguis? terminavit lib. II. 10. p. 78. l. II. *Præcipua*, ait, *in hoc ars est, quæ vires æstimet, & ex eo colligat, possit nec ne superesse, quod in una muliere duo corpora simul sustineat.* Quæ parce victitat, cui sanguinis in penu nisi modicum non est, quodque ægre sufficit uni, id sufficiat duobus?

§ 286. Quam

§ 286. Quam parum ſanguinis *Sereniſſimæ Principi* ſuperſit, menſes loquuntur. Quorum ut paucitas, ita & bonitas, aperte contradicunt parcitati diætæ, & negant congruere ei, cui opus eſt robore. Robore autem eſſe opus, ad marem inprimis & concipiendum feliciter, & geſtandum fortiter, & pariendum proſperiter, plurimis docet meus Præceptor locis. Ceterum quia hæc res eſt omnibus nota ſatis, iſtis producendis deſiſto: quo ne univerſa ipſius ſcrinia videar una vice velle compilare.

§ 287. Atqui, dicat aliquis, à natura ſunt Nontemperies iſta & Penuria ſanguinis. Nolumus controvertere. Reſpondebit enim Hippocrates in Præc. IX. 98: ἢν μὲν τις ἐκ γενετῆς ἢ ἀπ' ἀρχῆς ἔλλειμμα ἔχῃ, πειρᾶσθαι ἐξομοιοῦν τῇ ὑποκειμένῃ. παρὰ γὰρ φύσιν τὸ μινύθημα· *Si cui inde à nativitate vel incunabulis defectus quis adſit, conandum eſt, ut is* emendatione artificioſa *aſſimiletur naturæ ſuppoſitæ. Præter naturam quippe eſt illud puſillum.*

§ 288. Atqui tuus diſerte I. de Diæt. XL. 344: φύσιν μεταπλάσαι ἀφανέα οὐχ οἷόν τε: *Naturam transformare occultam haut poſſibile.* Rectiſſime: nam loquitur de Structura nativa, & interiore, & partium interiorum. Nam in externis quid ſtudium & conſuetudo queant, Macrocephalorum prorſus admirabilis hiſtoria oſtendit: quæ eſt l. de Aëre, aq. & loc. XXXV. 129.

§ 289. Quoties autem, quod ad temperamentum & habitum corporis, non occurrit videre, ut, qui natura erat fervidus, exſuccus, macilentus, niger, talis

ex ardente febre rite curatus & se resumens fiat speciosus, coloratus, plenus, bene habitus, obesus? Me id vidisse non semel, & in ipsa Matre b. m. meam, si ita vultis jubetis, interpono fidem.

§ 290. Ætas certe SERENISSIMÆ PRINCIPIS facit, ut nihil heic desperandum putemus. Et vos, mei & mihi honoratissimi Domini, quid tentasse nocebit? Mutatio ipsa & grata Naturæ erit, & tuta, *ἢν διὰ χρόνου*, *si tempore* fiat.

§ 291. Quoto non cuique illud esse in ore & experimento solet, quod est l. de Aere, aq. & loc. XXXIX. 132? *αἱ γὰρ μεταβολαί εἰσι τῶν πάντων, αἵ τε ἐγείρουσι τὴν γνώμην τοῦ ἀνθρώπου, καὶ οὐκ ἐῶσι ἀτρεμίζειν*: *Mutationes sunt in omnibus, quæ & excitant mentem hominis, & non sinunt torpere.*

§ 292. Quis autem magis excitato habet opus, quam quæ [7] *melancholicis & splenеticis passionibus valde est obnoxia?* At quæ cura animum sollicitat magis, quam cura corporis, eaque perpetua? Semper qui volunt curari, numquam curantur. Novimus, quibus nihil ad sanitatem deest, nisi quod se sanos non credunt.

§ 293. Qui quæstui serviunt (pudendum genus, carcinoma ordinis) quoniam is major ex persuasione morbi, quam morbo est, sui interesse non putant, tam amaram radicem eruncare.

§ 294. Erectior mens, quibus suprema lex, Salus hominum. Hi, ut jurant, ita præstant. *Ἐς οἰκίας ὁκόσας εἰσίησιν, ἐσέρχονται ἐπ' ὠφελείῃ καμνόντων*: *In quascunque domos ingrediuntur, intrant propter utilitatem ægrotan-*

ægrotantium: Jusj. II. 29. Ideoque ſemper ſtudent γνώμῃ μᾶλλον ἢ τόλμῃ, καὶ ῥαςώνῃ μᾶλλον ἢ βίῃ θεραπεύειν. *ratione magis quam experientia*, (nam hæc audax, ubi ſola eſt,) *& facilitate magis quam violentia mederi*: l. de Arte xx. 95.

§ 295. Erectior longe mens, quibus demandari Principum ſalus ſolet. Hi, ut norunt, in hoc Capite includi omnium fortunas, ita pro eo nocte dieque excubantes ſatagunt, ut neque in ſecunda valetudine rigide, neque in adverſa habeantur laxe.

§ 296. Non certe rigide. Nam hoc & noxium eſt, & indecorum. Noxium hoc enim eſt in ſecunda valetudine, adverſæ præſidia conſumere. Quod vetat Celſus lib. I. cap. I. p. 21. l. 23. Indecorum: nam ſi uſpiam, certe apud Principem oportet, μὴ λίην ἀπανθρωπίην εἰσάγειν, ἀλλ᾽ ἀποβλέπειν ἔς τε περιουσίην καὶ οὐσίην· *non admodum ſe ſeverum præbere, ſed reſpicere ad dignitatem & perſonam*: Præc. IV. 45. Certe, quem Juriſconſulti ſolvunt voluntatis & æquitatis: ſuis Medici legibus, quibus nihil eſt Naturæ vel aſperius vel adverſius, ſubdere non debebant.

§ 297. Sed neque ſub periculo laxe. Nam minimum. ξυγχωρίη, ἐγχρονίη νούσου· *indulgentia, nutrix morbi eſt*: Præc. XI. 136.

§ 298. Porro, utut αἱ μεταβολαὶ ὠφελέουσιν, ἢν ἐς βελτίονα μεταβάλλῃ, *mutationes proſint, ſi ad meliora fiant*, II. Epid. II. initio: ſubito mutanda diæta non eſt. *Neque enim convenit, juxta inediam protinus ſatietatem eſſe*, ut ex Aph. II. 51. Celſus II. 16. p. 92. l. 19. Qui venuſte lib. III. 4. p. 118. l. 19. de Aſclepiade,

piade, celebri medico: *ulterioribus quidem diebus cubantis etiam luxuriæ subscripsit: primis vero tortoris vicem exhibuit.*

§ 299. Hippocrates l. de Affect. t. XLII: ὁκόταν ἢ σιτίων ἢ ποτῶν προσθῆναι ἄρξῃ, κατ' ὀλίγον χρὴ τὰς προσθέσιας ποιέεσθαι· *Quum animus est cibis potibusque adjicere, paulatim oportet apponere.* Quoniam τὸ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλές· *paulatinum, tutum*: Aph. II. 51.

§ 300. Neque vero ipsam hujus rei aggressionem diffitemur habituram quid molestiæ. Verumenimvero, ita experimur in corpore, ut in populo, succedere. De hoc Tacitus Annal. IV. 26: *Primas dominandi spes in arduo, ubi sis ingressus, adesse studia & ministros: extructa jam sponte præfecti castra, datos in manum milites.*

§ 301. Par consuetorum longo tempore ratio. Relicta enim, κἂν ᾖ χείρω, τῶν ἀσυνήθων ἧσσον ἐνοχλεῖν εἴωθε· *etiamsi deteriora sint, insuetis minus molestare solent*: Aph. II. 50.

§ 302. Tamen, si non conducunt, mutatio facienda. Hippocrates l. de Nat. hom. XVIII: δῆλον ὅτι οἷσί γε χρῆσθαι εἴωθεν ὁ ἄνθρωπος διαιτήμασιν, οὐκ ἐπιτήδειά οἱ ἐστιν, ἢ πάντα, ἢ τὰ πλείω, ἢ ἕν γέ τι αὐτέων, δεῖ καταμαθόντα μεταβάλλειν, καὶ σκεψάμενον τοῦ ἀνθρώπου τὴν φύσιν, τήν τε ἡλικίην, καὶ τὸ εἶδος, καὶ τὴν ὥρην τοῦ ἔτεος, καὶ τῆς νούσου τὸν τρόπον, τὴν θεραπείην ποιέεσθαι: *Manifestum, quod, si qua diæta uti consuevit homo, quæ ipsi non convenit, seu in totum, seu ex parte, aut in aliquo omnium, oporteat hoc resciscentem mutare, & curationem facere cum respectu ad hominis naturam, & ætatem, &* pro-

proprietatem, & tempestatem anni, denique speciem morbi.

§ 303. Tentanti autem, quamtumvis res videatur inter initia difficilior, & molestior; tamen pergenti, & brevi, facilis fit atque jucunda. Natura enim, cum primum se sentit vegetari, mox omnes partes facit conspirare in suum obsequium & hoc, quod ipsa agit, negotium promovendum. Exemplo sunt convalescentes à morbo.

§ 304. Modum denique faciendæ mutationis vix est nostrum præscribere, qui sumus absentes, nec ignari, quantum sit vel in hac aut illa circumstantia situm; quantum & in captanda occasione. Quo ne tamen heic desimus, subjicimus Prudentissimorum DD. Archiatrorum sapienti ruminationi consilium Celsi, quod est lib. 1. cap. 3. p. 28. l. 12.

§ 305. *Implet autem corpus*, ait, *modica exercitatio, frequentior quies, unctio, &, si post prandium est, balneum, contracta alvus, modicum frigus hieme, somnus & plenus & non nimis longus, molle cubile, animi securitas, assumta per cibos, & potiones maxime, dulcia & pinguia, cibus & frequentior, & quantus plenissimus potest concoqui.*

§ 306. Quod ego quidem auro contra æstimo, & in SERENISSIMÆ PRINCIPIS cubiculo, in cœnaculo, in porticu, ubique locorum aureis inscribendum literis autumo. Quin me abunde meo possem putare officio debitoque satisfecisse, si vel istud misissem tantum. Ex animo dico: Ibi inclusum arbitror, quidquid præceptorum ad SERENISSIMÆ PRIN-

cipis valetudinem redintegrandam excogitari jucundum tutumque poteſt.

§ 307. Atque in hoc me profiteor diſcipulum Herodici Selymbriani. Quem in lib. de Republ. III. p. m. 622. c. Plato refert inſtituiſſe Medicinam pædagogicam, ſive quæ Victu atque Exercitiis, in rem accommodatis, Valetudinem corporum & ſuſtineret & redderet.

§ 308. Quam etſi non ubique locum, in Serenissima Principe tamen habere, tot rationibus moveor, quot, præeuntem hiſtoriam pedepreſſim ſecutus, propoſui.

§ 309. Multis magniſque laudibus apud genuinos Medicinæ myſtas, & meritiſſime extollitur illud Arnoldi de Villanova, quod eſt Parabol. med. xv. p. 391: *Potens mederi ſimplicibus, compoſita medicamina doloſe aut fruſtra quærit.*

§ 310. Me, optarem aureum hoc uncialibus inſcriptum ſuperis omnibus Medicinarum liminibus; quo meminiſſe queant, quotquot ad præſcribendum quid ſuis ægrotis ingrediuntur, atque eo ſaltem admonerentur abſtinere à cubitalibus iſtis ſchedis, nulla ratione & ſæpe magna feſtinatione conſarcinatis. Sed, ſi hoc tanti eſt, quanti eſſe nobis debet, nolle in Medicamentis, in Manibus quærere, quod unum in Victu, naturaliſſima medicina, reperire eſt.

§ 311. Finiturus primum me converto ad Vos, Serenissimæ Principis Excellentiſſimi & magnis veſtris meritis longe ac late Celeberrimi

DD.

DD. ARCHIATRI, obteſtatum per honorem quem Arti, per amorem quem Proximo, per candorem quem Collegæ, per fidem quam SERENISSIMÆ PRINCIPI, per pietatem quam Deo Opt. Max. debemus, ut ne eorum, quæ pro ſalute SERENISSIMÆ PRINCIPIS & ea libertate, quam nobis muneris noſtri concedit ratio, dixi, ſive conſentiens, ſive diſſentiens, eorum, inquam, nihil velitis aut non ex æquo & bono interpretari aut limis aſpicere: quin potius omnia & ſingula, quo placebit cumque rigore examinare, & ad rationem, ſi opus, vel cujusque verbi reddendum poſtulare. Hoc ſi mihi præſtare beneficii dignabimini, ſpondeo Vos eum reperturos, qui nihil habet prius, quam omnibus officiis veſtram benevolentiam demereri, meamque Vobis obſignare.

§312. Deinde me converto ad Te, SERENISSIMA PRINCEPS, ocelle Principum, delitia Domini, ſpes Populi, columna Eccleſiæ, Tibi ſummas ago gratias, quod me quoque dignata es vocare ad partes & dare honorem in re Sanitatis tuæ conſulendi. Te ſubmiſſe rogo, ut digneris & in hoc conſilio agnoſcere voluntatem officioſam, promtam, ſinceram, quamque habere me decet ad omne omnino SERENITATIS TUÆ obſequium, & propter hanc admittere ſub clypeum deſideratiſſimæ clientelæ.

§313. Denique me converto ad Te, DEUS animarum, fons vitæ, pater luminum, largitor omnis boni, Te venerabundus, Te ſupplex accedo rogoque, ut velis SERENISSIMÆ PRINCIPIS

animam fasciculo viventium inclusam manu fovere; & Ipsi ad morbum suum hinc in Te fortiter ferendum, hinc per Te feliciter superandum abunde virium suppeditare; & Medicis suis optima ad hoc consilia inspirare; & Auxiliis universis adesse Tua benedictione. Ita toto corde, tota anima, totisque viribus vovebat & tota vita vovebit,

SERENISSIMÆ

Celsitudinis Tuæ

cultorum & clientium humillimus,

Joh. Antonides Vander Linden,
Doct. & Prof. Med. Practicæ primus
in Acad. quæ est Lugd. Batavorum.

Lugd. Batav. XXII. *Febr.* CIↃ IↃC LIX.

INDEX

eorum quæ in CONSILIO continentur.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

Spiri-

MINUTIÆ

propter imperitiores corrigendæ.

§ 54. l. 2. lege *Afficitur.*
§ 86. l. 7. l. ϗ ὑπερθ-
§ 132. l. 9. l. n. 507.
§ 183. l. 2. l. γυναικὶ
§ 235. l. 1. l. nihil æque
§ 241. l. 2. l. foliti.
§ 248. l. 1. l. quam.
§ 264. l. 12. l. orient.
§ 296. l. 2. l. Noxium:
l. est, in
l. 3. l. -dine adv-

FINIS.